
J. Olearius.
H. S. Henkel.)
Propositio primi et tertii
generis idiomatica.
ex 1 Pt. IV. 1.
Lips., 1687.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

1,-343.-4
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01636 X
+REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

Q. D. B. V.

PROPOSITIONEM PRIMI ET TERTII GENERIS IDIOMATICAM

Ex I. Petr. IV. 1.

DISSERTATIONE THEOLOGICA,

ad d. 23. Auguſt. Anni hujus 1687.

Placidæ Eruditorum Diſqviſitioni,

In Auditorio Theologorum Paulino,

SUB PRÆSIDIO

Viri Maximè Reverendi, Ampliſſimi, & Excellentiſſimi,

DN. JOHANNIS OLEARII,

SS. Theol. Doct. ejusdemqve Prof. Publ.
Capituli Cizenſis Canonici, Alumnorum Electoralium Ephori, Collegii Majoris Principum Collegiati, & Nation. Saxon. Senioris,

Domini Patroni, Præceptoris, & Hoſpitis ſui ſummâ cum obſervantiâ devenerandi,

ſubjiciet

STEPHANUS KENKEL,
Holſatus.

LIPSIÆ, TYPIS GOEZIANIS.

Kenkel blev Prof. ved Ridder-Academiet og siden Told-Kammerer i Helsingøer

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

Q. D. B. V.

DEbetur hoc inqvieto mortalium labori & avido emergendi ſtudio, ut nova ſemper circumſpiciant inventa, inventisq; novos ſuperaddant, eruditis nondum viſos, nedum auditos, ingenii partus. Dies enim diem docet, & vergente ætate, moriendo etiam diſcimus. Vendicant ſibi primum in inveniendo locum, qvi nobilisſimo *Matheſeos* ſtudio operam ſuam impendunt. Qvamqve nos *Phyſicam* nominamus, toto cœlo à veterum Philoſophiâ naturali differt, ut adeò Phyſicam in ipſa qværas Phyſicâ, & fruſtrà qværas. *Technicæ*, qvam dicunt, & Mechanicæ ſtudium tot indies inventis celebratur, ſuaqve utilitate ſeſe commendat, ut nunc primum rectius, qvàm unqvam anteà his inſigniri nominibus mereantur. *Medicina* criſtas tollit, ipſaqve ſibi non ſatis conſtat, cui ob noviter inventa teſtimonium denunciare jure debeat. Modum ponere neſcia *Alchymia*, & utile dulci miſcens *Chymia* in tantum excrevêre incrementũ, ut per excrementa etiam, veteribus inutilia viſa, incrementa ſumant, imò ex qvovis facere posſint qvodlibet, ex

toto etiam nihil; dum olim ex nihilo tantùm facere nihil didicerant mortales. Tenent etiam nunc *JCti* viam Regiam, rident veterum ambages & diverticula, legumqve, inter qvas inconciliabilis pugna, conciliationes. Et ſanè *Facultatum* omnium diſciplinæ reliqvæ, artes, ſcientiæ, & humaniora ſtudia innovandi ſtudio laborant; & laborant certè. Sola intra ſuos limites ſtat immota veritas & invariata *invariatæ Confeſsionis Auguſtanæ* Theologia, ſimplex, & mutari neſcia, vel ſaltem mutationem absq; ſui inſigni detrimento non patiens. Non hæc noviter inventa, non inſanam curioſitatem tolerat, non innovandi ſtudium: neqve additionem aut ſubtractionem admittit. Aut ſi qvis hîc labor novus locum habere debet, ſit ejusmodi neceſſe eſt, ut fundamenta non ſubruat, nec religionem evertat, nec ſacra miſceat profanis, aut deſtruat à Spiritu S. & ejus interpretibus rectè dicta, de qvibus ſæpius (feliciores enim etiam multos melioribus inſtructos adminiculis præſens hoc noſtrum vidiſſe, qvàm ſuperius ſeculum S. S. Interpretes, lubens agnoſco,) illud Hebræorum: בוא וראה כמה בין ראשונים לאחרונים
צפורנן של אבות ולא כריסן של בנים: cui geminum illud: טוב עוללות הראשונים מכציר האחרונים:
Hinc novitates non novit V. & N. Scriptura; nec inſanas curioſitates ſana amplectitur Theologia. Antiqva enim fides audit, qvæ usqve adeo à novis etiam abhor-

abhorret terminis. Nihil ergò hîc dici poteſt, qvod non ſit dictum prius, & maſculè defenſum à Doctoribus. Unica in ordine & tractandi methodo varietas eſt, ut pro rerum diverſitate diverſa etiam fiat applicatio. Qvæ qvidem animo mecum volvens, cum ſtudium meum atqve induſtriam, priusqvam hinc diſcederem, illi, cujus voluntas mihi pro mandato eſt, probare juſſus fuerim ſpecimine aliqvo publico, & qvidem tali, qvod ipſius Theologiæ centrum feriret; (videbantur enim Viro reliqva, qvæ extra & circa Theologiam dici ſolent, eandem tantùm circumlambere; ejusmodi autem argumentum, qvale præſenti Diſſertatione, ipſius conſilio juſſu & auctoritate elaboravimus, in ipſius Theologiæ penetrare viſcera, imò eam exhaurire etiam. Utinam verò & nos felici ſucceſſu exhauſiſſemus ſingula!) non eqvidem diffiteor (ecqvid enim celandum, qvod huic ætati inprimis commune ſolet eſſe, novitatis ſtudium?) ægrè me initiò ſecutum, qvô me ejus vocabat auctoritas, melius mihi ſtudiisq; meis conſulturum, imò gloriolam etiam aliqvam captaturũ ratus, ſi pro more tantùm non ubivis recepto, argumentum circumſpicerem, qvod materiam tractaret ſelectiorem, & ab aliis nondum occupatum laborem oſtenderet. Sed vicit contrà nitentem pietas, & gloriolæ captandæ ſpem Apoſtolꝰ riſit *Gal.VI.14.* cujus verba mea facio: ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι

 εἰ μὴ

εἰ μὴ ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ. Eſt enim ſecundum *Cyrillum Hieroſolymitanum Catech.* Φοτιζ. *XIII.* καύχημα τῶν καυχημάτων ὁ σταυρὸς, unde mox jubet: μὴ ἐπαισχυνόμεθα τῷ σταυρῷ τοῦ Σωτῆρος, ἀλλὰ μᾶλλον ἐγκαυχώμεθα. Hoc ergò conſilio meliora edoctus, dictum hoc præſens Petrinum eum in modum reſolvi, ut, formatâ duplici propoſitione, priorē ex primo, & poſteriorem ex tertio Communicationis Idiomatum genere explicaverim, & continuâ ſerie, additis, ut vocant, marginalibus non interruptâ connexione ſeſe offerentibus, ulteriori in capita & ſectiones diſtinctione ſuperſedendo, deduxerim, atqve uberius aliqvanto Patrum ſententias de qvæſtione: *an, Deô paſsô, Deitas etiam ſit paſſa*, ex Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ examinaverim. Qvod, uti ſpero, veniã facilè merebitur. ארח־ח אבן utinam feliciter! Ut autem eò feliciùs inoffenſo pede progrediamur, ſolum Textum Originalem, verſione additâ unicâ hûc apposuiſſe contenti erimus. Ita autem verba ſonant;

1. Petr. IV. 1.

Χριστοῦ οὖν παθόντος ὑπὲρ ἡμῶν σαρκὶ &c.

Cum igitur Chriſtus pro nobis paſſus ſit carne &c.

Reliqvorum namqve, qvæ ſeqvuntur, verborum explicationem cum non intendamus, tantum nobis ſufficere poterit.

Hinc

§. 1. Conſideratur hoc dictum extra contextum;

Hinc aliâ qvidem reſolutione opus eſſet, ſi illud ipſum Dictum intra contextum, & prout reſpectu antecedentium & conſeqventium ſeſe habet verborum, conſiderare aggrederemur, aliam vero præſens inſtitutum ſibi ſuo qvaſi qvodam jure poſtulat tractationem.

§. 2. Non habita ratione connexionis cum præcedentibus.

II. Neq; enim hic qvicqvam attinet, connexionem, qvam habent verba cum *cap. II. v. 21. & c. III. v. 18.* longius recenſere. In illo enim loco argumentum præbet Apoſtolus Pædevtico-Conſolatorium, videturqve efficaciſſima ratio *Hornejo ad loc. prior.* qvâ probat, non debere nobis mirum videri, qvod dixerat, Deo hoc gratum eſſe, ſi propter illius timorem injurias patienter feramus, & ad id nos omnes vocatos eſſe: ipſum enim Chriſtum hâc in re ducem ſe nobis præbuiſſe. Nec majorem vim ad cohortationem habere qvidqvam poteſt, qvam hoc ipſum, qvod ſervos pios, dum fideliter ſerviunt, & duriter interim habentur, idqve æqvo animo ferant, Chriſti ipſius hac in re imitatores eſſe dicat. Ecqvis enim illud ſe indignum putet, aut ſufferre renuat, qvod ipſe Dominus noſter nec ſua, ſed noſtra cauſa tam patienter tulit, & ideò qvidem ut exemplar nobis relinqveret, qvod identidem in conſpectu haberemus, & omnes ſeqveremur. Poſteriori autem loco idem argumentum ab exemplo Chriſti repetit; neqve enim ſemel Apoſtolo rem tanti momenti inculcaſſe ſufficit; reditqve, poſt interjectam digreſſionem *cap. IV. 1.* ad intermiſſam exhortationem, provocans ad argumentum *præced. cap. III.* hac connexione facta: *Cum igitur Chriſtus paſſus ſit pro nobis carne, vos qvoqve eadem cogitatione armamini, nempe qvod qvi paſſus eſt IN CARNE, deſtitit à peccato, ut non amplius cupiditatibus hominum, ſed voluntati Dei, qvod IN CARNE reliqvum eſt temporis, vivat.* Hoc ordine rectiſſimè qvidem proceditur, & bis repetitum argumentum tertiâ vice efficaciſſimè proponitur.

§. 3. Unde formatur propoſitio Logica,

III. Sed parum nos juvat hujus connexionis ratio, utpote qvi nec de ſubſeqventibus ſolliciti, ſolam horum verborum: Χριστοῦ οὖν παθόντος ὑπὲρ ἡμῶν σαρκὶ, explicationem intendimus. Ex qvibus formatâ, poſt abjectam *particulam conjunctivam* οὖν, & *participii in Aoriſtum* 2. Indicativi mutationem, Propoſitione Logica: Χριστὸς ἔπαθεν ὑπὲρ ἡμῶν σαρκὶ, *Chriſtus paſſus eſt pro nobis carne*, jam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

cuivis ſine dubio clara erunt verba, non habitâ antecedentium & ſubſeqventium ratione. Juvabit tamen in conſilium adhibere tum *v. 21. cap. II.* tum *v. 18. cap. III.* in qvibus commatibus idem fere dicitur, & conferre etiam loca parallela reliqva.

§. 4. Qvæ neqve ad I. neqve ad III. Communicat. Idiom. genus adæqvatè pertinet

IV. Spectata autem in ſeſe hæc propoſitio Biblica tanqvam *una & ſimplex*, ſub uno præcisè & *adæqvate* Comunicationis Idiomatũ genere (prout ſc. ad certum genus referuntur omnes phraſes Biblicæ à Doctoribus noſtris *Luthero, Chemnitio, Gerhardo, Brochmando*, aliisqve) poni non poteſt. Nam licet *inadæqvatè*, demtis ſc. interjectis vocibus ὑπὲρ ἡμῶν, à Theologis omnibus pro propoſitione primi generis Communicationis Idiomatum habeatur, & rectè habeatur, nullo contradicente, imò etiam vix aliter allegari videas, qvàm *in primo genere*; nemo tamen facilè affirmabit in tota hâc propoſitione: Chriſtus paſſus eſt *pro nobis* carne, verba illa: *pro nobis* otioſa eſſe, aut numerum adimplere, qvem modum, in tali præſertim negotio, ignorat Scriptura. Ambigeres certè, ſi ad unicum referendum eſſet genus, cui ex æqvo accenſeres.

§. 5. qvod probatur.

V. Dicam planius: *Chriſtus paſſus eſt carne*, omnium conſenſu & ſine dubio eſt propoſitio *primi generis*, qvia proprium humanæ naturæ perſonæ λόγȣ duabus naturis conſtanti, per & propter unionem perſonalem verè tribuitur. Deinde hæc propoſitio: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis*: certè cum *pro nobis* Chriſtus aliter non ſit mortuus, qvàm ſatisfactoriè, adeoqꝫ æqvipolleat huic: *Chriſtus ſatisfecit pro peccatis noſtris*, qvia pati pro hominibus peccatoribus eſt opus Chriſti in officio redemptorio conſiderati, ad *tertium genus* absqve controverſiâ pertinet. At illa: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis carne*, neqve ad primum neqve ad tertium Commun. Idiom. genus referri *adæqvatè* poterit. Nam neqve *in primo genere* rectè Chriſtus dicitur paſſus carne *pro nobis*, qvia qvando ptopria Naturarum communicantur perſonæ in concreto, ita tamen ut propria ſuis ſimul vendicentur naturis (ſatisfactio enim ibidem locum non habet) præter *communicationem propriorum* attendi nihil ſolet; neqve in *Tertio Genere* rectè dicitur paſſus pro nobis *carne*, cum paſſio illa, qvæ in *Tertio genere*, ut *ſatisfactoria* conſideratur, nõ ſolum *carne* fiat, ſed ſecundum Regulam Concilii Chalcedonenſis, *utraqve natura agat cum communicatione alterius, qvod cujusqve pro-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

proprium eſt; qvia mortem ſolus homo ſuperare non potuit, nec ſolus Deus pati.

VI. Unde ſi æqvipollentem ſumamus & reſolvamus propoſitionem, manifeſta evadet & heterodoxa contradictio h. m. *Chriſtus ſecundum utramqve naturam ſatisfecit pro nobis, ſed ſecundum ſolam humanam naturam.* Sunt enim diverſiſſima: *pati ſimpliciter & pati pro totius mundi peccatis*, ſeu, qvod idem eſt: *pati pro nobis, qvi peccatum habemus, ſatisfactoriè.* Illud Chriſto competit ſecundum *humanam naturam* tantùm, hoc verò ſecundum *utramqve naturam.* Illud pertinet ad *primum*, hoc verò ad *tertium* Genus Communicationis Idiomatum, *vid. D. Gerh. Conf. Cath. l. 2. c. 4. th. 1.* & *Chemnit. de duabus naturis in Chriſto c. XVII. p. 83:* Aliud eſt, *inqvit*, loqvi de paſſione & morte Chriſti, qvatenus eſt proprietas humanæ naturæ: Et aliud eſt: qvod per illam paſſionem & mortem placata eſt ira patris, contritum caput ſerpentis, mors deſtructa, vita reſtituta, captivi liberati &c. Præterqvam enim qvod differat *primum* genus à *Tertio* ratione *ſubjecti*, qvod in *Primo* etiam *Concretum naturæ vel perſonæ* eſſe poteſt (licet Synecdochicâ qvadam ratione vocabula qvæ ſunt concreta naturæ totam perſonam exprimant,) in *Tertio* autem tantùm *Concretum perſonæ*; præter hanc, inqvam, differentiam, qvæ in propoſitione hac noſtrâ locum non habet, cum reſp. ſubjecti, qvod eſt *concretum perſonæ* & ad Primum & ad Tertium Genus ceteris paribus referri poſſit, obſervari meretur differentia, qvæ eſt hujus loci, ratione *prædicati*; qvia in *primo genere* prædicata ſunt alternativè modo divina, modo humana, vel prædicatur unius naturæ proprietas de tota perſona; in hoc *Tertio verò genere*, prædicatum non eſt unius naturæ proprietas, ſed commune ἀποτέλεσμα, ſeu opus officiale naturæ utriusqve, qvod indè à Patribus θεανδρικὸν appellatur.

§. 6. Et illuſtratur.

VII. His præſuppoſitis & neceſſariò præmiſſis, non amplius difficilè erit judicare, duas hinc formales erui propoſitiones in diverſis conſiderandas generibus. Cum enim Apoſtolus tum ex partic. diſtinct. *Carne*, tum ex cauſa finali, *pro nobis* argumentum ſumat, & ad hæc in ſeqv. alludat, ut, qvia *carne* Chriſtus eſt paſſus, etiam nos pari ratione *carne* pati adſveſcamus, & qvia *pro nobis* paſſus eſt *Chriſtus*, etiam iidem nos in ſignum grati animi

§. 7. Inde duæ eruuntur propoſitiones.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

pro Chriſto in membris ejus patiamur; (qvam rationem ex abundanti addimus ex 1. Joh. IV, 11.) hinc ex duobus his mediis terminis duas formabimus Propoſitiones, qvarum *PRIMA: Chriſtus paſſus eſt carne*, Primi; *SECUNDA: Chriſtus paſſus eſt pro nobis*, Tertii Generis Communicationis Idiomatum eſt. Particulam enim *διακριτικὴν Carne*, Primum Genus; *τὸ pro nobis*, Tertium ſibi vendicat. Et ſecundum hanc partitionem præſentem Diſſertationem ordinabimus, ordine conſideraturi Propoſitiones in ſuo qvasvis genere: (Non neglecturi Verſiones & Philologiam, ſi qvæ erit, qvia perpauca in hoc genere notanda occurrent, ob perſpicuitatem & brevitatem Textus,) Eſt enim in utraqve, ratione & Subjecti & Prædicati aliqva differentia, ut qvodvis ſingularem mereri tractationem videatur.

PRIMA PROPOSITIO.

§. 8.

In qvarum prima diſtingvitur inter SUBIECTUM QVOD & QVO.

VIII. Nulla autem apparet ratio, cur à ſveta & inter Doctores receptâ conſideratione *ſubjecti* diſcedamus, qvippe cum melioris doctrinæ gratia *Subjectum Qvod* à *Subjecto Qvò* rectè diſcerni ſoleat. *Illud* primum videamus, de *hoc* poſteà. *Subjectum* igitur *Qvod* totus Chriſtus eſt divina & humana natura conſtans.

§. 9.

I. Subjectum QVOD Chriſtus ſecundum humanam naturam unctus.

IX. Cumq; ab *officiali ratione* Chriſtus dicatur, & in Regem, Prophetam & Sacerdotem noſtrum, præ ſodalibus (aliis ſc. Regibus, Prophetis, & Sacerdotibus, imo qvibuslibet etiam fidelibus, qvi 2. Cor. I, 21, uncti à Domino dicuntur,) à Deo unctus fuerit; dicendũ hic eſt, *ſecundum qvam naturam unctus ſit*. Verba pro nobis faciet *Damaſc. l. 3. de Orthod. fide c. 3.* Nomen Chriſtus, *inqviens*, hypoſtaſeos perſonæqve dicimus, non unimode dictum, ſed duarum naturarum ſignificativum eſſe: Ipſe enim ſeipſum unxit, ungens qvidem ut Deus ſua Deitate corpus, unctus autem ut homo. Et *Irenæus l. 3. c. 20.* In Chriſti nomine, *inquit*, ſubauditur, *qvi unxit*, & ipſe *qvi unctus eſt*, & *ipſa unctio in qva unctus eſt*. Et unxit qvidem *Pater*, unctus vero eſt *Filius* in *Spiritu*, qvi eſt unctio. Unde licet *Damaſcenus* unctum eſſe Chriſtum ut hominem dicat, non licebit concludere cuiqvam *Photiniano*, qvod Chriſtus non ſit verus Deus, qvippe qvi neqveat ungi. Nam & Deo rectè competit nomen Chriſti, & verus Deus rectè dicitur unctus, hoc diſcrimine ex *Damaſc. l. 4. c. 6.* obſervato, qvod unctio circa humanitatem fit, & ipſo etiam *Beza* teſte Chriſti nomine & *Ungens*

Divi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

Divinitas & *uncta Humanitas* intelligitur. *Part. II. Reſponſ. ad Colloqv. Mompelg. p. 107.* Et ſic unctionem non ſecundum divinam, ſed tantum humanam naturam factam agnoſcimus. *Conf. Chemn. de duabus Nat. c. 22, 23. Gerb. Exeg. de P. Chr. §. 302. 310. Danhavv. Hodom. Calv. ph. 8. p. 1671. 1675. Calov. Syſtem. T. VII. p. 450. 458. & B. Hunn. egreg. præfat. Comment. in Epiſt. ad Epheſ.*

§. 10. Hoc loco eſt Concretum perſonæ, aliàs etiam naturæ.

X. Qvâ ratione *idem* erit Paſſionis, qvod Unctionis eſt *ſubjectum.* Et qvamvis in *primo* idiom. Communicationis Genere *ſubjectum* non ſemper à *concreto perſonæ* denominetur, cum qvandoqve de concreto naturæ prædicetur proprium Naturæ vel humanæ vel divinæ: Obtinet tamen vicem ſubjecti à concreto perſonæ denominati, ita ut ſemper intelligatur λόγος ἔνσαρκος *Conf. Rom. VII 32. Act. III. 15. 1. Cor. II. 8. Act. XX. 28.*) ſalvo interim manente diſcrimine formali inter propoſitiones, ubi ſubjectum *concretum naturæ* eſt.

§. 11. Secundum Tres Species primi generis

XI. Tres enim obſervant Theologi ſpecies, qvas docendi cauſa (*Königius Theol. Poſit. & ex illo Dn. D. Qvenſtedt Theol. Didact. Polem. P. III. c. III. Membr. I. Sect. I. Th. 66. ſq.*) diſtingvunt (1.) in Αντίδοσιν ſpecialius acceptam, qvà tam divina, qvam humana de Chriſto ab utrâqve naturâ denominato, ſeu qvod idem eſt, de concreto perſonæ propriè dicuntur, (2.) *in κοινωνίαν τῶν θείων*, qvum de Perſona λόγου ἐνσάρκου, ab humana natura denominata, divina prædicata propriè enunciantur, ob unionem perſonalem, & (3.) in ἰδιοποίησιν, qvum humana de concreto naturæ divinæ enunciantur. *vid. Apolog. Deciſ. Saxon. Sect. 2. c. 6. Meiſn. Chriſtol. d. 14.*

§. 12. Licet enim qvidam propoſitiones, ubi ſubjectum eſt concretum perſonæ, non agnoſcant pro ſpecie primi generis.

XII. Hoc autem loco ſubjecti vice ſtat *Concretum Perſonæ*, qvod eſt Chriſtus *perſona* σύνθετος *vel* ἔνσαρκος; Cujusmodi propoſitiones, licet Dn. D. Bajerus ſeqvutus veteres nonnullos Theol. *Comp. Theol. Poſit. P. III. c. 1. ſ. 1. §. 19. p. 440.* non velit agnoſcere tanqvam genuinam ſpeciem *Primi generis*, utpote cum ſubjectum ſit *Concretum Perſonæ*, & Prædicatum *Idioma alterutrius naturæ*; concedit tamen poſſe ſuo modo huc referri. Qvod qvidem ſecundum Definitionem, qvam dat, Primi generis qvando de Concreto naturæ divinæ Idioma humanum, & contra de concreto humanæ naturæ Idioma divinum enunciatur, rectè dicitur; ſed cum ſecundum jam dicta *ſubjectum*, licet *ab unâ tantum natura*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

denominatum,ſupponatur pro *tota perſona*, non fallimur, ſi ἀντίδοσιν ſpecialius acceptam, principalem ſpeciem conſtituamus *Primi generis*.

§. 13.
Reſp. tamen ad aſſertionis hujus fundamentum.

XIII. Fundamenta qvidem illius aſſertionis jam olim dedit *Hutterus LL. f. 155.* qvod non videatur in ejusmodi propoſitionibus, in qvibus ſubjecti loco ſtat Concretum Perſonæ, propriè loqvendo, communicatio Idiomatum eſſe, cum non unius naturæ Idiomata de alterâ naturâ, vel in concreto vel in abſtracto communicent; Qvare, ut communicatio locum habere poſſit, neceſſe eſſe dicit, ut loco Chriſti in ſubjecto talis ponatur vox, qvæ reſpectum habeat ad eam naturam, cujus idioma non eſt, qvod prædicatum enunciat v. g. *Homo Chriſtus eſt, anteqvam Abraham fieret*. Sed *B. Scherz. Syſt. Theol. L. IIX. p. 196.* citatis ita ex Huttero rationibus ab Huttero diſcedit, interim tamen, *inqviens*, nihilominus communicatio Idiomatum involvitur, propter ſubjectum ab utraqve natura denominatum, & communicatam hypoſtaſin. Niſi enim illa eſſet communicata, ſubjectum nec ab utraqve natura denominari, nec Prædicatum divinum toti perſonæ à natura divina & humanâ denominatæ tribui poſſet. In qvâ explicatione acqvieſcentes, licet parum referat, qvò Propoſitionem hanc referas, communi ſententiæ inhæremus.

§. 14.
SUBJECTUM ergò QVOD Chriſtus in duabus naturis exiſtens eſt verus Deus, verusq; homo, qvod probatur.

XIV. Conſideramus igitur Chriſtum in duabus naturis exiſtentem tanqvam θεάνθρωπον, Deum verum, verumqve hominem. Ad qvod probandum ne longius argumenta petamus, contenti erimus ex textu id probaſſe, & qvidem vi duarum anteà à nobis formatarum propoſitionum: (Nobis enim ſufficere poterit; Adverſariis, qvibus fortè petitio principii videbitur, alia opponi poſſunt ex ſyſtematibus Theologor. vid. B. Scherz. *Syſt. Loc. II. de Deo §. 25.* & *Colleg. Anti Soc. Diſp. IV.* Gerh. *Exeg. &c.*) Qvi *carne* paſſus eſt, illum oportet, verum fuiſſe *hominem*, pati enim carnis eſt proprieras, veraqve paſſio verum præſupponit hominem; Qviqve paſſus eſt *pro nobis peccatum habentibus ſatisfactoriè*, illum etiam verùm *Deum* fuiſſe manifeſtum eſt, qvia opus redemptorium non niſi homo ſimul Deus peragere potuit. Ex his duabus naturis conſtans Chriſtus, *divinam* ab æterno habet à

Deo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

Deo patre per æternam, veram, propriè dictam, & ſubſtantialem generationem, unde etiam eſt verus naturalis & æternus Deus ac Dei filius. Naturam autem *humanam*, veram & integram, accepit in tempore ex Maria Virgine per miraculoſam & extraordinariam Sp. S. ἐπίλευσιν productam.

XV. Dico qvod Chriſtus *conſtet his duabus naturis*; vel *exſiſtat in duabus naturis*. Non enim eſt *Tertium aliqvid præter ambas ſuas naturas unitas, ſed eſt ipſæ duæ naturæ perſonaliter unitæ*. Licet autem ſecundum fundamentum S. Scripturæ diſtinctio ſit inter ὑπόστασιν τȣ͂ λόγȣ & *divinam ipſius naturam*, ita ut non qvælibet de illa, & hac pariter qveant enunciari: non tamen propterea Chriſtus perſona illa compoſita, ut loqvitur *Damaſcenus*, eſt *tertium qvid* præter ambas ſuas naturas: qvemadmodum ille non eſt *qvartum qvid* præter easdem ſuas naturas, tametſi anima & corpus humanum inter ſe diſcrimen aliqvod habeant. Neqve verò *Damaſceni* mens eſt, explicante *Feurbornio Faſcic. Diſſ. IV. §. 58. p. 27.* qvod qvia unus Chriſtus eſt duæ naturæ propterea qvæcunqve de Chriſto prædicantur, de duabus ipſius naturis ſtatim etiam qveant enunciari. Non ita. Siqvidem ipſe *Damaſcenus l. 3. de orthod. fide c. 4.* eleganter ſcribit: In Domino noſtro Jeſu Chriſto, qvia duas naturas agnoſcimus, & unam hypoſtaſin ex utraqve compoſitam, qvando naturas reſpicimus, *Deitatem, humanitatemqve* vocamus. At verò qvando ex naturis conjunctam hypoſtaſin; qvandoqve ex utriſqve ſimul, Chriſtum nominamus, & Deum & hominem ſecundum idem, & Deum incarnatum, qvandoqve vero ex unâ partium, id eſt naturarum, Deum ſolum & filium Dei, & hominem ſolum & filium hominis; & qvandoqve ex ſublimibus ſolis, qvandoqve ex ſolis humilibus, nam unus eſt & hoc & illud ſimiliter exiſtens: hoc qvidem, ſemper exiſtens cauſaliter ex patre; illud verò poſterius homo factus ob miſerationem & amorem hominum. Ita ille. Et porrò, judice *Damaſceno*, ex aſſertione hujus diſcriminis non ſeqvitur, Chriſtum eſſe *aliqvid tertium*, præter ſuas duas naturas. Nam ex Deitate & humanitate Deum perfectum & hominem perfectum eundem & eſſe & dici, & ex duabus & in duabus naturis confitemur, ait Idem *l. 3. c. 3.* Breviter: Chriſtus præter ambas

§. 15.
Non tertium aliqvid præter ambas ſuas naturas unitas.

bas ſuas naturas non eſt *tertium aliqvid*, *h.e.* non eſt *tertia* qvæpiam *natura* compoſita, vel *tertia* qvæpiam compoſita *perſona*: qvia Chriſtus, *i.e.* perſona illa compoſita eſt *duæ ſuæ naturæ in eadem perſona unitæ*, & proinde non eſt ex aliis aliud, ſed ex aliis illa, nempe Deus & homo propter perſonæ unitatem, & duarum naturarum περιχώρησιν hypoſtaticam. Finge ergo, Chriſtum, i.e. Deum & hominem eſſe *aliqvid tertium*, præter ambas ſuas naturas, divinam nempe ac humanam, & è veſtigio ſeqvetur, Chriſtum non tantùm eſſe Deum & hominem, nec ſolummodo Dei Patris & Mariæ Virginis filium; ſed & *alterius cujusdam*. Qvi exitialis error abſit, ut in ſcholis Chriſtianorum toleretur.

§.16. Contra Calviniſtas & inprimis Sadeelem.

XVI. Prorſus ergo rejicienda eſt opinio *Sadeelis*, & aliorum ipſius, veſtigia prementium *Calviniſtarum*, qvi *lib. de veritate humanæ Chriſti naturæ*, hoc theorema habet: *Qvædam dicuntur de Chriſto, qvæ ſecundum ejus perſonam tantum intelligenda ſunt* &c. Qvomodo hoc effatum ſtare poteſt? ſiqvidem Chriſtus non eſt ἐξ ἑτέρων ἕτερον, ἀλλ᾽ ἐξ ἑτέρων τὰ αὐτά, *h.e.* non ex aliis aliud, ſed ex aliis illa. *Damaſc. l.c.* καὶ ὅπερ ἐστι τὸ συναμφότερον, *c. 4.* Et hoc qvidem eſt, qvod utrumqve ſimul. Qvicqvid ergò de Chriſto Spiritus S. prædicat, hoc de eo intelligitur, aut juxta utramqve, aut alterutram naturam. *v. Feurb. l.c.* §. *60, 61, 62.*

§.17. Attamen, qvando qværitur, utrum perſona Chriſti ſit ſimplex an compoſita.

XVII. Cum autem Chriſtus præter ambas ſuas naturas non ſit tertium aliqvid, illud tamen contra ſeqvetur perſonam Chriſti non ſimplicem eſſe compoſitam, qvia ex divinâ & humanâ naturâ revera unitis conſtat. Et qvamvis *Scholaſticorum* nonnulli dubitent (qvos vide, ſi operæ pretium videtur, allegatos *ap. Brochm. Syſt. Theol. Loc. de Chriſto c. 8. qvæſt. 14. p. 304.*) an rectè id dicatur, qvi imperfectionem involvere ajunt, tum qvod ea, ex qvibus qvippiam componitur, rationem partium habeant, & ſe mutuò perficiant, tum qvod natura ſua ordinentur ad totum, & hoc illis perfectius ſit; at neqve divina natura pars dici poteſt, neqve divina poſt aſſumptionem humanæ perfectior dici poteſt, qvia ante aſſumtionem erat perfectiſſima.

§. 18. Reſp. eſſe compoſitam.

XVIII. Sed Reſp. ad hoc *B. Hornejus Diſp. Theol. Diſp. I. Sect. III.* §. *90. p. 107.* qvod ſi rem ipſam ſpectes, certum ſit perſonam verbi poſt incarnationem *non prorſus ſimplicem eſſe*, ut ante eam e-

rat

rat, cum per eam ei humanitas addita ſit, & verè unita, ita ut ex divina & humana natura conſtituatur unus Chriſtus. Nihil etiam obſtat qvò minus *unio illa hypoſtatica, compoſitio, & perſona ipſa compoſita* dicatur, nec propterea neceſſum eſt, ut ea, ex qvibus componitur, *partes* dicantur, etſi ſic etiam *Damaſcenus* appellare non reformidat, vel ſe reciprocè perficiant, vel ad totum ſeu compoſitum illud natura ordinentur, aut hoc illis ſeorſim conſideratis perfectius ſit; etſi enim in rerum finitarum unione id accidit, ut compoſitum à ſingulis componentibus perfectionis aliqvid trahat, adeoqve totum ipſum perfectius ſit ſingulis (unde etiam *componentia* illa partes vocantur, qvia particularem tantùm perfectionem habent) tamen cum unum componentium infinitæ perfectionis eſt, ut hoc loco, aliter ſe res habet: nec enim id propriè loqvendo pars eſt compoſiti, nec compoſitum ipſo perfectius, cum infinitâ perfectione nulla major eſſe poſſit: Sed nec perfici ab alio componente poteſt, nec natura ſua ad qvidpiam ordinari.

§. 19. notatâ B. Gerhardi diſtinctione.

XIX. Hinc *B. Gerh. Diſp. Iſag. p. 364.* ὑπόστασιν σύνθετον, qvæ talis eſt per alterationem, perſonam Chriſti non agnoſcit, qvaſi ſc. in ſe ac per ſe alterationem qvandam paſſa ſit: Per unionem tamen compoſitam dicit, qvia poſt incarnationem Chriſti perſona duarum naturarum ὑπόστασις ſit, cum anteà filius divinæ naturæ ὑπόστασις fuerit. Et hæc qvidem ſatis clarè dicuntur.

§. 20. Et ex B. Scherzero, qvod cõpoſita dicatur, ratione duarum naturarum, non perſonæ.

XX. Qvamvis *B. Scherzerus in Brev. Hülſemanni enucleato c. VII. de miſſione Redemtoris Th. IX. f. 368.* felicius rem expediri credat, & accuratius à *B. Autore Oper. poſth. f. 305.* appellari *compoſitum* ſive σύνθετον non ratione *perſonæ*, ſed ratione *duarum naturarum in unam perſonalitatem*. Nam ubi eſt una tantùm perſonalitas, ibi non poteſt eſſe compoſita perſonalitas. Ubi non eſt compoſita perſonalitas, ibi etiam non eſt compoſita perſona. Perſona enim non niſi per perſonalitatem eſt, ſiqvidem perſona hæc non in eſſe perſonæ, vel ratione perſonalitatis, ſed tantùm ratione naturarum eſt compoſita; uno verbo: non duæ perſonæ, ſed duæ naturæ in una perſona ſunt. Ergò terminus ille communiter receptus, qvo dicitur perſona σύνθετος, *reſpectu naturarum*, non *reſpectu perſonæ* eſt intelligendus.

XXI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

§. 21.
Ita tamen, ut humana natura ſubſiſtat in divina.

XXI. Unde conſtat, qvòd *hæ duæ naturæ in una perſona ſubſiſtant*, qvia divinæ & humanæ naturæ unio ad unam perſonam facta eſt. Non ſubſiſtunt autem *hypoſtaſi creata*, qvia natura infinita terminari finita ſubſiſtentia neqvit. Ergò ſubſiſtunt *hypoſtaſi increata, infinita, & conſeqventer ſuam divinitas humanitati hypoſtaſin communicavit.* Et qvia nunqvam extra divinam hypoſtaſin fuit humana Chriſti natura, nunqvam habuit propriam hypoſtaſin, & qvia propriam hypoſtaſin nunqvam habuit, nunqvam conſtituit peculiarem perſonã. Qvam humanæ in divina ſubſiſtentiam *B. Scherzer. l. c.* concinnè probat: ὁ λόγος conceptus eſt homo; E. in prima conceptione unita fuit humanitas τῷ λόγῳ, adeoq; in ὑποστάσει ſubſtitit in primo ſtatim conceptionis momento. At ante primum conceptionis momentum humanitas non extitit, E. nec hypoſtaſin habere potuit. Hoc volunt Doctores, qvando dicunt: Humanitatem non eſſe αὐυπόστατον, nec ἀνυπόστατον, ſed ἐνυπόστατον; qvia hunc perſonalitas in perſona τοῦ λόγου ſubſiſtendi modum accepit ab ipſa perſona τοῦ λόγου, qvod fieri aliter, qvàm per communicationem divinæ hypoſtaſeos, fieri non potuit.

§. 22.
qvod probatur.

XXII. Et porrò probamus eam ex dicto: *Verbum caro factum eſt, Joh. I. 14.* Qvicqvid Verbum factum eſt, illud eſt Verbum, A. verbum factum eſt homo. E. verbum eſt homo. Eſt autem homo vel *naturaliter*, vel *perſonaliter*. Non *naturaliter*, aliàs divina natura converſa eſſet in naturam humanam, qvod hæreticum. E. *perſonaliter*. At *perſonaliter* non poteſt eſſe homo, niſi ad ejus perſonam pertineat humanitas. Humanitas autem ad perſonam divinam nulla ratione pertinere poteſt, niſi habeat ὑπόστασιν *divinam*. Per ὑπόστασιν enim ſolam conſtituuntur formaliter perſonæ. At hypoſtaſin divinam humanitas non poteſt habere *per naturam*. E. eam habet *per unionis gratiam*.

§. 23.
Et an rectè dicatur λόγον aſſumſiſſe hominem, diſqviritur.

XXIII. Cum autem Verbum non aſſumſerit perſonam, ſed tantùm naturam humanam, ſuſpecta qvibusdam Theologis videtur hæc ῥῆσις, qvâ λόγον *aſſumſiſſe hominem*, Patres olim multi dixerunt. Neqve freqventior hâc ipsâ *Auguſtino* eſt locutio, *verbum induiſſe hominem*, & *verbum aſſumſiſſe hominem*, qvæ loca citata vide ap. *Coq. ad Auguſt. C. D. L. IX. c. 17.* ubi cum *D. Thoma Aqvin.* loqvendum dicit *3. p. q. 4. art. 3.* qvem Scholaſtici ſeqvuntut Theologi

logi 3. *Diſt. 6.* qvia homo non tantùm complectitur naturam humanam, ſed naturam in ſuppoſito, ſive naturam ſubſiſtentem, qvalem non aſſumſit Chriſtus. Defendit tamen ibidem *L. Vives Auguſtinum*, *Hieronymum*, & cæteros latinos Scriptores: & acutè pungit eos, qvi hanc locutionẽ in Patribus improbant, qvi videri ibid. poteſt. Qvomodo verò orthodoxè hæc ſint exponenda, ipſe *Vives* non accuratè exponit. Docet id *Scherzerus l.c. Th. IX. f. 377.* Patres concretivè locutos dixiſſe, λόγον aſſumſiſſe hominem, non tantùm humanam naturam, qvia ſc. ὁ λόγος ſimul & ſemel aſſumſit humanam naturam *eſſentialiter*, licet non ſtatim *integraliter*, & qvoad omnia membra organica, qvaſi etiam illa ſimul coextiterint, conſideratam.

XXIV. Notamus autem & hoc, qvod qvando ab Orthodoxis & ſervantibus ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων Doctoribus *propria creataq́; exiſtentia* humanitati Chriſti attribuitur, non propterea alicujus heterodoxias accuſandi, aut Neſtorii doctrinæ favere, cenſendi ſint; putant enim, qvia propriam & actualem Natura humana habet *eſſentiam*, hinc propriâ etiam exiſtere *exiſtentiâ* rectè dici, cum actualis eſſentia ab exiſtentia non differat, niſi ſolâ ratione. Sed applicant huc diſtinctionem illam Scholaſticam inter *exiſtentiam ultimatam & non ultimatam. Ultimatam* exiſtentiam tantùm unam in Chriſto agnoſcunt; interim eſſe etiam exiſtentiam qvandam propriam & creatam, non qvidem ultimatam, ſed dependentem & *non ultimatam*. Qvæ probè notanda ſunt & diſtingvenda, ne eruditis adverſantibus turpiter ſe dent ita loqvẽtes. Vid. *Dn. Rudrauff. Philoſ. Theol. Loco de Unione perſon. §. 19.* Et hæc qvidem aſſertio ritè explicata tolerari poteſt; ſed qvia hic modus loqvendi nonnihil periculoſus eſſe videtur, propterea tutiſſimum eſt, unam tantùm in Chriſto exiſtentiam vel ſubſiſtentiam propriè dictam docere & profiteri, qvoniam hâc ratione perſonæ unitas meliùs defendi & Neſtoriani accuratiùs refutari poterunt, judice *B. Meiſnero Phil. Sobr. P. I. ſ. IV. c. 1. qv. 2. p. 962.* Argumenta, qvæ in contrariam partem afferuntur, vide ap. *Aſſelm. Syntag. Appendic. Loc. III. Qv. 2. p. 223.*

§. 24. Simulq́; excuſantur Doctores, propriam creatamq́; exiſtentiam humanitati Chriſti attribuentes.

XXV. His ita præmonitis, jam amplius Chriſtus nobis conſiderandus venit, non ſolùm ut ἔνσαρκος & perſona compoſita, nec ſal-

§. 25. Unde Chriſtus porrò ſpecta-

tur in Unione perſonali, ſecundùm qvam Idiomata invicem communicantur, ita tamen, ut

ſaltim etiam qvatenus conſtat divina & humana natura, & præter illas non eſt aliqvid tertium, ſed qvatenus per aſſumtionem humanæ naturæ in divinam hypoſtaſin in unione perſonali ſpectatur & per unionem naturarum perſonalem Idiomata invicem communicantur. *Nam qvamvis duæ illæ naturæ ſemper qvidem ſint diſtinctæ naturæ, tamen nunqvam ſeparatim exiſtunt poſt incarnationem, ſed unitæ ſunt hypoſtaticâ unione ad unam perſonam. Vid. Chemn. de duabus nat. c. 4. Danh. Chriſtoſ. ſ. 1. art. 2. 3. & Hodom. Calv. Ph. 8. Calov. de Perſ. C. cont. 2. Gieſs. T. III. d. 3. Marpurg. T. V. 86. Meiſn. Chriſtol. d. 9. Hunnius T. I. Perſ. C. & T. V. p. 105. 340. Aſſelm. Synt. P. I. 39.*

§. 26. 1. naturæ in Chriſto ſint diſtinctæ contra Eutychian. & Schwenckfeldianos.

XXVI. Dico I. qvòd in Chriſto ſint duæ *diſtinctæ naturæ*, ut obviam eatur errori *Eutychianorum* & *Schvvenckfeldianorum*, docentium, Chriſtum qvidem ab initio habuiſſe carnem nobis conſubſtantialem, ſed poſteà in unione vel glorificatione eam in divinam naturam fuiſſe converſam. Ita namq; citante *Hoornbeckio Summâ Controverſ. Lib. XI.* de Græcis, *Dioſcorus* in Concilio Chalcedonenſi *art. I.* ſententiam Eutychis & Eutychianorum expoſuit, non oportet dicere poſt adunationem duas naturas, ſed unam naturam Dei verbi incarnatam. Ipſeq; Eutyches, in Conſtantinopolitana Synodo *artic. VII.* qvæ in Epheſina lata, & in Chalcedonenſi *art. I.* relecta fuêre: usqve ad hodiernum diem non dixi corpus Domini & Dei noſtri conſubſtantiale nobis. Sanctam autem virginem confiteor nobis eſſe conſubſtantialem. *Et porrò:* Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem, poſt verò adunationem unam naturam confiteor. Sic dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. Cum enim contra Neſtorium diſputaretur, eſſe tantùm in Chriſto unã perſonam, ut eò validius reprimeretur & ad abſurdum redigeretur Neſtorius, idem ille Eutyches, qvi maſculè ſe geſſerat contra Neſtorium, in aliud abſurdum & extremum prolapſus eſt.

§. 27. 2. Incarnatio præſuppona-

XXVII. Dico II. *poſt Incarnationem*, ad retundendam *Photinianorum* veterum & *Socinianorum* blaſphemantem pertinaciam, qvâ pro mero commento Incarnationem filii Dei habent, imò fabu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

fabulam, ſomnium ac figmentum vocant. Ita enim *Smalcius Homil. IIX. in Cap. I. Joh. f. 89.* hanc rem, *inqvit*, Deum eſſe hominem factum, eſſe abſurdam, & ſanæ rationi planè contrariam, & in Deum blaſphemam; *Conf. Oſtorod. Inſtit. Germ. c. 17. fol. 96. Socin. explic. c. 1. Joh. f. 14. Et fragm. de Chriſti nat. f. 17. itemq́; Catech. Rac. c. 1. de cognitione Chriſti Qv. II. III. IV.* Qvorum argumenta accuratè ſoluta & refutata *vid. ap. Scherz. Coll. Anti-Socin. Diſp. 45. p. 414.* tur contra Photinianos & Socinianos.

XXVIII. Dico III. *unitas eſſe duas naturas ad unam perſonam*, ut error *Neſtorii* cò clarius pateſcat. Qvamvis enim pleriſqve Theologis *Neſtorius* non apertè dicatur impugnaſſe unitatem perſonæ, tamen qvia communicationem Idiomatum non admittebat, Epheſini Concilii Patres ita ſtatuerunt: Qviſqvis realem communicationem Idiomatum negat, is qvoqve unitatem perſonæ in Chriſto negat. Iſtud enim imprimis ſpectaſſe Neſtorium apparet, ut confitendo duas in Chriſto unitas naturas, divinam ab omni mutatione & confuſione immunem ſervaret, & diſtincta utriusqve idiomata, ſi non perſonalitas etiam diviſa. Interim negabat Neſtorius, unionem in Chriſto eſſe ὑποστατικὴν (παραστατικὴν enim ſolummodo eſſe profitebatur) negabatqve unionem hanc conſecutam eſſe naturarum diverſiſſimarum, earumqve proprietatum veriſſimam communicationem. §. 28. 3. naturæ ſint unitæ ad unã perſonã contra Neſtorium

XXIX. Cumqve tam *Pontificii*, (unionem hypoſtaticam per communicationem ſolius ſubſiſtentiæ τȣ̃ λόγȣ, non item divinæ naturæ & attributorum definiendo;) qvàm *Calviniani*, (unionem in παραστάσει conſtituendo) communicationem Idiomatum negantes, Neſtorianiſmi reos ſe faciant; de induſtriâ veram Neſtorii ſententiam occultant, docentq́; profeſſum fuiſſe Neſtorium, *tot eſſe in Chriſto perſonas, qvot ſunt naturæ*, ita ut non idem omnino & ſecundum eandem perſonam Flius Dei & filius hominis, creator & creatura, paſſibilis & ἀπαθὴς ſit, §. 29. & Pontificios atq; Calvinianos, Neſtorii ſententiam occultantes.

XXX. Imò *Calviniani*, (verba ſunt *B. Scherzeri Diſp. de Parallelismo Calvino Neſtoriano §. 5.*) ſecuti ſtrenuè Neſtorium Magiſtrum, tantos progreſſus fecêre, ut inter ipſos & Neſtorium vix ac ne vix qvidem diſcrimen obſervare liceat, niſi qvod & qvandoqve ſuperare illos Præceptorem ſuum deprehendas. Qvod §. 30. Unde ſpeciatim qvidem Calviniani cum Neſtorianis conferuntur.

enim *hic* conceſſit qvondam, aſſumtam videlicet humanã naturam verè coadorari cum λόγῳ, duabus qvidem orationibus ſeorſim, ſed tamen coadorari, adeoqve cum λόγῳ eſſe religioſæ adorationis objectum; id ipſum pervicaciſſimè negant *Calviniani*, prorſus removendam eſſe clamantes humanam naturam à religioſâ Dei divinæqve naturæ in Chriſto ipſo adoratione, qvod ex *Danæi Exam. Chemn. p. 410.* probatur. *vid. Brochm. Syſt. Loc. de Chriſto p. 302.* ubi prolixè tractat qvæſtionem: *An Calviniani & Pontificii jure juſto accuſentur Neſtorianiſmi*, ritèqve examinat, qvæ ſit eorundem de unione perſonali ſententia; ſimulqve *qvæſt. præced. Lutheranos* liberat à ſuſpicione *Eutychianiſmi*, qvæ à *Bellarmino T. I. col. 391. lib. 3. de Chriſto c. 5. & Gregor. de Valent. T. I. diſp. 1. qvæſt. 2. punct. 1. p. 101.* Lutheranis affingitur, de qvibus deinde. Confer etiam ſi placet, *Horneji diſp. de Perſ. C. ſect. III. §. 27. & ſeqq. & Hoornb. Summ. Controv. l. c.* ubi prolixius Hiſtoriam habes certaminis. Non enim in omnibus Theologi noſtri conſentiunt.

§. 31. & orthodoxa ſententia de unione perſonali proponitur.

XXXI. Nos miſſis erroribus *de Unione perſonali & Communicatione Idiomatum* ita ſentimus, qvod unio illa perſonalis, qvæ ex unitione provenit, non conſiſtat in qvalicunq; duarum naturarum, divinæ & humanæ conjunctione, ſed tali, qvâ natura divina, prout in hypoſtaſi τȣ λόγȣ ſubſiſtit, intra hanc ipſam hypoſtaſin ſibi conjunctam habeat naturam humanam, & cum ea conſtituat *unum* ὑφιστάμενον, adeoqve (prout Veteres occaſione certaminis Neſtorii & Eutychis unionem hanc declararunt) unio facta ſit ἀσυγχύτως, ne per mixtionem unio facta credatur, ἀτρέπτως ut excludatur converſio unius naturæ in alteram, ſeu abſorptio, ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως ad innuendam indiſſolubilitatem, inſeparabilitatem & indiſtantiam, atq; περιχωρίστως, ita ut divina permeet humanam, qva voce Veteres omnes elabendi rimas hæreticis obſtruxerunt. *Vid. Chemn. lib. de duabus naturis in C. c. 4. p. 26. & Feurb. Faſc. V. Diſp. 2. §. 57. ſeq.* Addit D. *Calovius:* ἀδιασπάστως, ἀδιαστάτως, & ἀναλλοιώτως *in Apodix. Articulor. fidei p. 178.* ſed cum prioribus coincidunt.

§. 32. propriamq; & adæqvatam

XXXII. Vi hujus *communio naturarum* ſpectatur, ut mutua ipſarum naturarum περιχώρησις immeatio & ineffabilis participatio, per qvam divina natura Filii hominis, & humana natura

filii

filii Dei eſt,& propter qvam Deus de homine,& homo de Deo verè ac realiter enunciatur. Qvæ ſanè unio non *verbalis* eſt, aut in nudo reſpectu & habitudine conſiſtens, non *externa & paraſtatica*, non *impropria & moralis*, qvâ forſan ratione duo conjuges uniti, aut amici duo unum conſtituere dicuntur, *ſed propria & adæqvata*, ſecundum qvam ita λόγος eſt in carne, & caro in λόγῳ, ut λόγος non ſit extra carnem, neqve caro extra λόγον, & neutrum alterum excedat. eſſe oſtenditur.

XXXIII. Unde reſultat communicatio Idiomatum, qvæ (ex definitione *B. Dieterici* accuratiſſimâ *in Inſtit. Catechet.*) eſt participatio ex unione hypoſtaticâ orta propriorum divinæ & humanæ naturæ facta in Christo θεανθρώπῳ ab alterutra vel utraqve natura ſimul denominato. *Vid. Hunnius T. I. p. 158. & T. V. 340. Chemn. de 2. nat. c. 13. Meiſner. Chriſtol. d. 13. Marp. T. IV. 96. Grauerus Abſurd. Calv. c. 2. Gerh. Exeg. L. IV. c. 10. 11. & Diſp. Iſag. 9, c. 10. Danh. Hodom. Calv. Phœn. 8. 1460. Calov. de Perſ. C. Controv. 4.* §. 33. Unde Communicatio Idiomatum reſultat.

XXXIV. Et ſic è diverticulo ſatis longo in viam redimus, poſtqvàm melioris ordinis & doctrinæ gratiâ *Subjectum Qvod* conſideravimus aliqvantò prolixius, prout ſcil. in unione perſonali ſpectatur, & ſpectari omninò debet. His enim ritè explicatis, jam rectius reliqva intelliguntur, ut remiſſione tantùm aliqvâ opus habeamus, & Paſſionis Dominicæ veritas eò melius ſtabiliatur. Aliter enim ſubjectum conſiderari qvàm ſecundum has circumſtantias & in hac ipsâ unione non potuit, propter prædicatum ſeqvens, qvod de Chriſto prædicatur, totiqve ſubjecto attribuitur, attamen non ſine additâ *particulâ* διακελτικῇ, ſecundum qvam naturam de eodem dicatur. Breviores Ergo nobis eſſe licebit, dum prolixior hæc expoſitio, omninò tamen neceſſaria, otia nobis faciet, ut digitum intendere huc de facili poſſimus. §. 34. Hinc factâ Tranſitione ad

XXXV. Hinc abſoluto ſubjecto Qvod Paſſionis, videamus paucis de *Subjecto QVO* mortis & paſſionis θεανθρώπου, qvod ex diſtinctione Dnn. Theologorum (*vid. Magnif. Dn. Præſidis Diſp. de J. C. derelictione, ante qvadriennium hîc habit. aphor. V.*) vel *Remotum*, vel *Propinqvum*. *Illud* non eſt divina natura, ſed humana. Divina qvippe ſimpliciter ἀπαθὴς eſt. Qvomodo tamen ad §. 35. SUBJECTUM QVO *Remotū & Propinqvum.*

 huma-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

humanitatis perſonaliter ſibi unitæ paſſiones concurrat, easdem ſc. ut in ſe ſpectantur, volendo, adhærentem hoſtium malitiam permittendo, & ὑποστάσει appropriando, naturam patientem ſuſtentando, paſſionibus ejus infinitum pondus ſuperaddendo, easdemqve ad finem humano generi ſalutarem determinando, deindè videbimus.

§. 36.
Qvod poſterius vel PRIMARIUM vel SECUNDARIUM.

XXXVI. Cumqve ſola humana natura paſſionis capax ſit, tota etiam paſſionem ſuſtinuit, adeoqve cum *Subjectum QVO propinqvum ſit* vel *Primarium*, Anima, non tantùm ſecundum *facultatem inferiorem*, ſed *&* *ſuperiorem* ſpectata; vel *ſecundarium*, corpus ſc. Chriſti, vinculis, flagellis, atqve innumeris aliis injuriis, & deniqve morti ipſi obnoxium factum: hinc ſecundum corpus non ſolùm, ſed & animam paſſus eſt Chriſtus; qvam conſiderationem reſervamus nobis explicandam in Prædicati, & præprimis additæ particulæ diſtinctivæ, tractatione. Pertinere enim ejusmodi particulas non ad *ſubjectum*, ſed ad *prædicatum*, Scriptura non modo ipſa innuit, ſubjungens illas, vel certè ſemper ſubjunctas intelligens Prædicato (*conf. 1. Pet. III. 18.*) ſed & Antiqvitas his particulis in explicando hoc myſterio utens, ad prædicatum eas refert, in qvo qvicqvid naturæ per ſe convenit, conſiderari debet.

§. 37.
Sed conſideratio ejus remittitur ad prædicatum, hoc tantum ex dictis repetito, qvod natura humana h. l. ſpectetur tanqvam in hypoſtaſi τȣ̃ λόγȣ ſubſiſtens.

XXXVII. Hinc denominaſſe h. l. ſufficiet, qvid *Subjecto Qvo, tam propinqvo, qvam remoto* intelligatur. Sic neqve ordinem propoſitionis, vi hujus diſtinctionis, ſemel approbatæ turbaſſe, neqve debitæ Prædicati conſiderationi aliqvid detraxiſſe videbimur. Id autem fortaſſis hujus loci erit præmonere, vel potius ex paulo antè dictis repetere, intelligi hîc naturam humanam non abſolutè & extra hypoſtaſin divinam. Cum enim actiones & paſſiones ſint ſuppoſitorum, contra *Neſtorium*, & ἀλλοίωσιν *Zvvinglianam* conſideramus h. l. humanam naturam tanqvam in hypoſtaſi τȣ̃ λόγȣ ſubſiſtentem. *vid. B. Scherz. Syſt. Definit. Loc. IX. p. 179*, qvemadmodum ex anteced. clariſſimè patet, ut nunc ſuperſedere hoc labore facilè poſſimus.

§. 38.
& in profundiſſimo Exinanitionis ſtatu, qvæ in nuda

XXXIIX. Qvibus & illud addimus, qvod ex *Scriptis eriſticis Dnn. Würtembergenſium & Gieſſenſium*, qvorum opera circa hanc materiam occupata fuit, clarius eluceſcit, conſiderari inſuper humanam naturam in Exinanitionis ſtatu profundiſſimo, ut non *in*

nu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

nudâ κρύψει ſeu Majeſtatis occultatione apud homines ponatur Exinanitio, qvod *Thummiani*, à Thummio Theologo Tubingenſi ita appellati, contra *Gieſſenſes* defendere conati ſunt, ſed *in evacuatione & libera abdicatione uſus & exercitii Idiomatum divinorum*, qvorum abſtinentia ad expiationem affectatæ Deiformitatis, paſſionem ac mortem neceſſaria fuit, & cum unione perſonali conſiſtere potuit, qvo ipſo tacitè reſpondemus ad qvæſtionem: *Num caro Chriſti in ſtatu etiam Exinanitionis omnipræſens fuerit*; (qvam Tubingenſes doctrinam de omnipræſentiâ carnis Chriſti à primo unionis momento exercitâ incomparabiliter à Majoribus ſuis *Jacobo Andrea* &c. excultam, bona qvidem intentione, ſed minus prudenter ſecuti in exceſſu peccarunt, qvatenus eandem Naturæ humanæ Omnipræſentiam, ad actuale qvoq; regimen extenderunt judicio *Magnif. Dn. D. Alberti Intereſſe Relig. p. 206. Conf. Hunn. præfat. Comment. Epiſt. ad Eph.*) qvæ tamen qvæſtio hujus loci non eſt. *vid. citatam Diſputationem Magnif. Dn. Præſidis*, accuratè occultationem illam Wurtenbergenſium detegentem, eò qvòd ſimulatoria tantum eſſe neqveat coram hominibus ſolis, qvæ expiatoria eſſe debuit coram Deo, Exinanitio. *Conf. Feurb. Op. Diſp. p. 382. σκιαγραφ. & κενωσιγρ. Deciſio Saxonica ejusq; Apologia. Thummius in ταπεινωσιγραφ. Melch. Nicolai defenſio contra Menzerum. Waltherus Qvadrag. p. 617. Hulſem. prælect. F. C. p. 33. Dorſchæus Pentad. d. 15. §. 27. Varen. Brev. p. 47. Kromayer Theol. Poſ. Pol. P. II. Loc. III. Aph. 22. p. 86.*

χρύψει non conſiſtit contra Wurtembergenſes.

XXXIX. Et hactenus *de Subjecto*. Jam ordine agemus de *Prædicato*, & de *materia* ipſius paſſionis. Removemus autem, qvod vel nobis non monentibus à Chriſto θεανθρώπῳ, qvi ἄνευ ἁμαρτίας eſt, qvam longiſſimè abeſſe qvivis intelligit, & τὸ *pati* & *paſſiones* eô ſenſu, qvo in N. T. *pravos affectus* ſignificant, & alios inordinatos motus animi, qvos originalis & innata malitia perpetuo in homine movet. Et qvamvis non ſit aliena ab hoc loco ſignificatio ſpecialiſſima paſſionis, prout ſcil. idem eſt, τὸ *pati* ac ſupplicio affici, qvo in ſignificatu verbum hoc, obſervante *Flacio, Clav. Script. S. p. 852.* nec apud Græcos, nec apud Latinos olim uſurpatum fuit, ſed in N. T. aliqvoties reperitur, (*v. Luc. XXII. 15. Mt. XVII. 12. Luc. XXIV. 46. Heb. IX. 26. & XIII. 12. Act. XXVI. 23.*)

§. 39. Seqvitur II. PRÆDICATUM, qvod h. l. latè ſumitur pro tota paſſione.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

23.) malumus tamen de tota Chriſti paſſione hæc Petri verba intelligere & omnia qvæ pro nobis Chriſtus eſt paſſus, huc trahere.

§. 40. idq; probatur ex connexione Textus & intentione Apoſtoli.

XL. Idqve patere puto ex argumento Petrino, qvod ſub initium Diſp. oſtendimus. Cum enim Apoſtoli mens ſit, hoc Chriſti exemplo nobis calcar addere, ut eidem viæ inſiſtamus in honorem Servatoris, qvi pro nobis innumeras paſſus eſt injurias, imò mortem ipſam; certè ſi ſolam intelligeret paſſionem morte factam, non eſſet adæqvata illa adhortatio, cum omnibus Chriſtianis non contingat in honorem Chriſti mortem ſubire, & martyrio coronari. Puto itaqve rectiùs concludi ex verbis Apoſtoli, ut prout cuivis paſſiones, ſive corporis illæ ſint, ſive animæ, obveniant, ſive injuriis, afflictionibus, carcere, perſecutionibus, inſidiis, flagellationibus, aut cujuscunqve generis terminentur, ſive deniqve mortem ſuſtinere huic vel illi contingat; nihil horum cruciatuum aut paſſionum reformidet, ſed ſecundùm exemplum Chriſti, qvi varias, easq; graviſſimas omnis generis paſſiones ſuſtinuit, pro ſe qvisqve patienti animo ferat, & eadem conſtantiâ ſeſe obfirmet, & heroico ſpiritu injuriis obviam eat. Qvamvis *Gerh. in h. l. p. 330.* concinnius eſſe putet, exhortationem Apoſtolicam de mortificatione carnis, ſeu pravarum concupiſcentiarum in carne accipere, adeò ut cruce divinitus imiſsâ ad mortificationem carnis utamur; interim tamen non improbat connexionem antè allatam. Qvicqvid autem ejus rei ſit, commodaq; licet videatur illa Gerhardi expoſitio, ſtat tamen (qvod nobis h. l. ſufficit) qvod ab exemplo Chriſti, multa & varia perpeſſi, argumentum petat, idq; duplex, tum ex termino *Carnis*, qvâ Chriſtus paſſus, tum ex termino *pro nobis*, qvorum gratiâ paſſio ſuſcepta, ut adeò æqvum ſit, *nos* exemplo etiam Chriſti *carne* pati; Non negamus autem, uti dictum, inprimis digitum intendi ad paſſionem ultimatam, qvæ ſtylo Scripturæ etiam ſæpiſſimè mors & ſangvis Chriſti vocatur, qvia in hac paſſione ſangvinem fundendo mortuus eſt. Eſt enim Hebræis valdè uſitatum, ſangvinem pro violentâ & præſertim injuſtâ morte ponere.

§. 41. *Paſſio* Chri-

XLI. Hinc aliam appellant Theologi *Inchoatam paſſionem*, qvæ à prima ſtatim infantia, & per aliqvot vitæ annos continuata

eſt,

eſt,aliam *Extremam*, circa finem vitæ triduo ante mortem exantlatam, qvæ paſſio κατ' ἐξοχὴν dicitur & præcipuè hic attendenda venit. Ita *Konigius Theol.poſit.p.156. Et B. Feurbornius Faſc.V. Diſſ. p.108.* Paſſio *inqvit* h.l. notat qvidem ipſam ejus paſſionem ſub Pontio Pilato, non tamen excludit antegreſſas ipſius afflictiones. Tota enim Chriſti vita fuit paſſio & afflictio, adeoqꝫ de tota illa humiliatione atqve exinanitione, in qvâ noſtri cauſa poſitus fuit, paſſio intelligenda. Qvod autem Chriſtus ab initio & per totam vitam illum ipſum dolorem acerrimum ſenſerit, qvem per tempus paſſionis expertus eſt, (qvæ opinio ex relatione *Gerſonis* & *Gabrîelis Bielis de Paſſione Dom.* qvorundam fuit, & ipſius etiam ut videtur *Alvarezii comment. in Eſ.53.*) contra apertam eſt ſcripturam ſententia, plena temeritatis & falſitatis, refutata *à D.Clozio tr. de Doloribus animæ Chriſti Conſid. 4.p. 23.*

XLII. Utqve porrò explicatione orthodoxâ ſententiæ huic faveamus & in compendium contrahamus, qvæ repetere aliàs & bis eadem dicere neceſſe haberemus, aſſumemus ſtatim illuſtrationis gratiâ *Particulam* illam *diacriticam*, qvâ σαρκὶ *ſeu carne* paſſus dicitur θεάνθρωπος. Ita enim res ipſa poſtulat, ut h. l. in ſubſidium vocetur, qvia ad Prædicatum propriè pertinet ut appareat, cui naturæ formaliter hæc prædicatio competat. Cum enim Scriptura ipſa eas tam ſolicitè inculcet, qvando de perſona Chriſti ſermo eſt, & nunc Deo & Dei filio tribuat, qvæ homini aliàs ſunt propria, nunc homini, qvæ ſoli Deo; obſervamus, qvam *neceſſariæ* ſint illæ *partic.* διακριτικαί. Ita namqve cum *Rom. IX. 5.* aſſeritur Chriſtum, qvi eſt ſupra omnia Deus benedictus in ſecula, ex Judæis prognatum eſſe, ſtatim adjicitur τὸ κατὰ σάρκα, qvòd ad carnem attinet, & *1. Pet. III. 18.* itidem limitat diſcurſum ſuum Apoſtolus, qvod dixerat, Chriſtum ſemel pro peccatis paſſum fuiſſe, juſtum pro injuſtis, ut nos Deo adduceret, θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, morte qvidem affectus *carne* (ſecundum humanitatem) vivificatus autem ſpiritu (potentia divinitatis ſuæ) *Confer Act. I. 30. 1. Cor. II. 8. Act. XX. 28. 2. Cor. XIII. 4.* Neqve tamen ſemper ſcripturam his particulis uti tenendum eſt; cum aliqvando per communicationem Idiomatum loqvatur ſimpliciter ſine expreſſâ aliqvâ determinatione.

§. 42. Ad qvod probandum III. PARTICULA DIACRITICA σαρκὶ expenditur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

§. 43. & ſimul uſus particularum diacriticarum,

XLIII. Unde ex *B. Chemnitio Lib. de 2. Nat. c. XV. p. 73.* obſervamus (1.) qvod non neceſſe ſit ſemper in primo genere expreſsè addere particulas diſtinctivas, ſed qvod liceat ſæpe ſimpliciter loqvi per communicationem Idiomatum. (2.) qvod ea, qvæ in hoc genere ſimpliciter proferuntur, explicanda & reſolvenda ſint per particulas diſtinctivas. (3.) qvod majoris perſpicuitatis gratiâ ad vitandas inſidioſas ambiguitates, & ad cavendos errores, addendæ ſæpius ſint in ipſis propoſitionibus particulæ diſtinctivæ. Hinc *ſeq. cap. XVI.* ubi uſum hujus doctrinæ monſtrat, errorem Eutychis (arripientis illam Scripturæ propoſitionem: *Dominus gloriæ crucifixus eſt*, ſed hoc ipſo divinitatem Filii Dei per converſionem facientis paſſibilem) inde ortum eſſe, ipſo confeſſore *Eutyche*, docet, qvod non admiſerit particulas diſtinctivas. Præterqvam autem, qvod ratione uſus, opponantur *Eutychianæ* duarum naturarum confuſioni, oſtendendo, ſecundum qvam naturam prædicata de Chriſto prædicentur; etiam *Neſtorianæ* opponi ſolent unius perſonæ divulſioni, dum notant de eadem perſona divina & humana dici, *Gerb. LL. p. 1359.*

§. 44. in primo, ſecundo,

XLIV. Sunt enim, qvod omninò notandum, hæ particulæ in primo genere non χωριστικαὶ καὶ διαμεριστικαὶ, ſeparativæ ſubjecti, qvaſi per eas naturæ dividantur & ſeparentur, ut humana tantum ad humanitatem & divina tantùm ad divinitatem reſtringantur prædicata, ſed ſunt tum διοριστικαὶ, determinativæ naturæ oſtendentes, ſecundum qvam naturam talia de perſona prædicentur, tum ἐνδεικτικαὶ (ſicut *Gerb. l. c.* ſumit) monſtrantes cauſam propter qvam prædicatum ineſt ſubjecto & qvare humana Deo & divina homini tribuantur; tum διακριτικαὶ ſeu diſcretivæ ejusdem ab altera natura qvæ nõ formaliter, ſed ex unione ac propter unionẽ de prædicato participat. Hinc in PRIMO GENERE ſunt notæ proprietatis, cui naturæ illa conveniat, & διακριτικαὶ ſ. diſtinctivæ vocantur. In SECUNDO autem GENERE alio nomine veniunt, & προσδιοριστικαὶ dicuntur, ſuntq; nõ notæ proprietatis, uti in primo genere, ſed explicant tum objectum, oſtendendo naturam ſecundum qvam Chriſto αὐχήματα divina in tempore data ſunt, tum cauſam & originẽ inſinuant, unde illa eminentia

& di-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

& dignitas nunc obtineatur, ſc. non ex naturæ proprietate, ſed ſecundum & propter unionem perſonalem.

XLV. In TERTIO autem GENERE locum non habent hæ particulæ, niſi fortè *ſimplici reduplicationi* locum concedere velis, qvæ contra *in primo & ſecundo genere* locum non invenit. Rectè enim dico in TERTIO: *Chriſtus, qvia Chriſtus, eſt paſſus pro nobis: Chriſtus, qvia Chriſtus, nos redemit.* In PRIMO dicere non licet: *Chriſtus, qvia Chriſtus, paſſus eſt.* Ita enim ſumimus τὸ *qvia*, prout in Logicis ſignificat id, cui additur, eſſe cauſam propter qvam prædicatum ſubjecto competit. Exponitur itaqve per hanc æqvipollentem in tertio genere propoſitionem: *Chriſtus qvia conſtat duabus naturis*, (id enim vult vox *Chriſtus* poſt particulam *qvia* ſecundo loco poſita) *opus ſatisfactorium peregit.* Cumqve neqve ſola divina mortem pati, neqve ſola humana mortem ſuperare potuerit, hinc cauſa eſt illa dualitas naturarum, qvod ſatisfacere potuerit. Qvo ſenſu in primo genere falſa eſt propoſitio ſuperior. Habet qvidem particula κατὰ *ætiologicè* etiam conſiderata locum, ſed ita, ut non cum τῷ *carnem* ſed cum τῷ *utramqve naturam*, inveniatur conjuncta.

§. 45. & tertio genere oſtenditur.

XLVI. Æqvipollent autem particulæ κατὰ σάρκα, ἐν σαρκὶ, τῇ σαρκὶ & ſimpliciter σαρκὶ, qvibus adde particulas ἐξ διὰ. *vid. Chemnit. l. c. p. 73.* Unde *Vulgata* formalitatem hanc limitantem προσδιορισμὸν vocant, rectè per æqvipollentem σαρκὶ qvam vertit *in carne*; Nam σαρκὶ h. l. poſitum pro ἐν σαρκὶ, ut *Eph. II, 15.* vel κατὰ σάρκα, ut Rom I. 2. eadem ratione, qva ſuperius *cap. III. 18.* Chriſtus dicitur θανατωθεὶς σαρκὶ. Unde Patres promiſcuè & indifferenter utuntur his particulis, imò aliâ elocutione citare diverſa ſcripturæ loca ipſis nulla religio eſt, qvemadmodum ipſum hunc locum citans *Auguſt. lib. de fid. & Op. c. 10.* Chriſtum paſſum eſſe per carnem reddidit.

§. 46. additis æqvipollentibus particulis,

XLVII. Cæterum qvam differentiam faciat *B. Aſſelmannus Syntagm. P. I. Diſp. 18. Coroll. 11. p. 527.* inter particulas: *qvoad* & *ſecundum*, citatis ex *Tubingenſium Theſibus de Chriſto anno 1608. p. 37. th. 143.* duabus propoſitionibus: *Chriſtus qvoad utramqve naturam paſſus eſt*, qvæ vera; & *Chriſtus paſſus eſt ſecundum utramqve naturam*, qvæ falſa, videri ibidem poteſt. Verbo *prior* ſcilicet propoſitio *hypo-*

§. 47. & particularũ QVOAD & SECUNDUM differentiâ.

hypoſtaticè conſideratur, hinc vera; *poſterior formaliter*, hinc falſa. inde de differentia partic. judicare licet.

§. 48. Hinc de ſenſu *Carnis* κατ' ἄρσιν,

XLIIX. In eo autem, qvid ſit *carne pati*, qvid item voce *carnis* denotetur, res qvamvis ſit expedita, nonnulli aliter ſentiunt. Certè *Eraſmi in paraphraſi 2. Pet. II, 18.* expoſitio rem non conficere videtur, reddentis, morti proditum eſſe Chriſtum ob imbecillitatem humani corporis, qvod aſſumſerat, id qvod ſenſum nullo modo exprimit, & ni fallor minus rectè dicitur, qvia imbecillitatem naturæ hâc ratione neceſſitaſſe mortem Chriſti, concludi poſſet, qvod falſum? Imo *Socinianum* hoc eſt, qvi ſolam conditionem humanam mortalem ac infirmam per vocem *carnis* intelligunt. Alii cenſent, ſenſum eſſe, qvod paſſus ſit *in diebus carnis Ebr. V. 7. Conf. Poli Synopſ. Critic. in h. l. Edit. Angl. 1526.* Nonnulli hoc dici propterea putant, qvia pleriqve dolores Chriſti fuerunt *in carne*. Qvidam qvod cauſa ſenſibilis paſsionis ſit *in carne*, licet ſenſatio ſit ab anima. *Sociniani*, præter jam dicta, ſupponentes, Chriſtum qvoad humanitatem ſuam, ſecundum qvam ex ſemine Davidis & ex Patribus ortus eſt, verum hominem, veramqꝫ adeò perſonam humanam eſſe, (qvam ſententiam refutavimus ſupra theſ. 21.) τῷ σαρκὶ male exponunt per *humanam perſonam. vid. Wolzog. Compend. Rel. Chriſt. in Op. Cap. XII. p. 51.* Qvemadmodum nec illi rem acu tangunt, qvi *ſolum corpus carnis* voce, intelligi prædicant, qvod ex mox dicendis pateſcet.

§. 49. & κατὰ θέσιν agitur: & SUBJECTUM QVO qvod I. Poſitive eſt humana natura, unde (1) *Remotum* ſimul reas ſumtum explicatur,

XLIX. Reaſſumimus ergo qvod anteà conſiderationi præſenti reſervavimus, *Subjectum Qvo* paſsionis *Remotum*, qvod ſub notatione particulæ diſtinctivæ involvitur, & dicimus cum orthodoxis, vocem σαρκὶ h. l. notare non divinam ſed *naturam Chriſti humanam*, corpore & anima conſtantem, propria qvidem ὑποστάσει deſtitutam, τῷ λόγῳ verò perſonaliter unitam, uti dictum in ſuperioribus.

§. 50. & probatur.

L. Et probamus hanc noſtram aſſertionem I. Ex loco ſæpius citato *1. Pet. III. 18.* ibiqve occurrente oppoſitione *carnis & ſpiritus*. Nam licet *Bellarminus l. 4. de Chriſti anim. c. 13.* velit, nomine ſpiritus intelligi animam Chriſti, qvia diſtingvitur contra carnem tanqvam contra alteram partem ejusdem compoſiti, invertimus tamen potius argumentationem dicentes: imò verò

qvia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

qvia caro & ſpiritus in perſona Chriſti opponuntur, certè divina & humana natura magis erunt oppoſita, qvàm corpus & anima, adeoqve ſpiritus divinam naturam ſignificat, non animam humanam, & caro humanam naturam, non ſolum corpus; (Qvid enim magnum eo pacto Apoſtolus de Chriſto dicat, cum id omnibus hominibus commune ſit, inqvit *Hornejus in h. l.*) ut *Rom. I. 3. ſqq. Heb. IX. 14. 1. Tim. III. 16.* vid. *Qvenſt. Syſt. Theol. S. III. p. 359. & 438* itemq; *Feſſelii Adverſ. S. Lib. 3. c. 2. §. 22. p. 232. Prückneri Vindicias locum hunc exactè vindicantes p. 838. contra exceptiones Bellarmini, Budovvezi & Moſcorovii*, vel potius *Morſcovii*, qvomodo rectiùs eum appellari ex *B. Scherz. Colleg. Anti-Soc. Edit. poſter. in Præfat.* obſervamus obiter. II. *Ex parallelis locis aliis*, ubi nomine carnis non notatur altera pars ejusdem Compoſiti, ſed tota humana natura. Sic *Joh. I. 14.* Verbum caro factum. Et *Ebr. II. 14.* Chriſtus de carne & ſangvine participaſſe dicitur. *conf. 1. Joh. IV. 2.* & loca alia *vid. Gerh. Conf. Cath. l. 2. ſpec. par. 1. art. 2. c. 3. th. 2. arg. 23. p. 445. ſq. Cham. Panſtr. Cath. T. II. l. 5. c. 7. p. 80.* Notetur autem, qvod qvando in poſter. verſ. parte voce *carnis* utitur Apoſtolus, aliam planè vox carnis ſignificationem obtineat, & per *Antanaclaſin* accidentaliter pro carnali concupiſcentiâ & vitioſitate naturæ ponatur. III. *Ex harmonia V. T.* qvâ בשר conſvetâ Hebræis Synecdoche partis pro toto, totum hominem notat, uti videre eſt *Gen. VI. 12. Pſ. LXV. 3. Eſ. XL. 5, 6.* & locis aliis. *confer Glaſſ. Rhet. Sacr. paſſim, inprimis p. 460.* qvem Hebraiſmum & Græci imitantes per vocem σαρκὸς qvandoqve exprimunt integrum hominem, uti ex ſupra citatis apparet. *vid. Rom. VII. 18. Gal. II. 16. Matt. XXIV. 27. Act. II. 17.* pro qvo etiam σὰρξ καὶ αἷμα & αἷμα καὶ σὰρξ ex communi & Judæorum Magiſtris familiari formula, e. g. *Matt. XVI. 17. Gal. I. 16. Zach. VI. 12.* aliqvando ſubſtituitur, obſervante ex *Druſii Annot. in N. T. Dn. Præſide in Diſſ. de Stylo N. T.* IV. *Ex antiqvitate*, non alio ſenſu carnem interpretante. *Athanaſius* enim *T. II. Dial. 4. de SS. Trin.* agnoſcit Scripturæ S. in more eſſe poſitum totum hominem vocare carnem & ſangvinem; neq; aliter ipſe loqvitur. Eſtq; *Oecumenii* Expoſitio in *Commentariis ſuis*: carne, i. e. humanâ naturâ, ſ. ut homo erat. V. Elegans eſt deductio *Waltheri in Harm. Bibl. p. 1311.* qvâ carnis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

nomine humanitatem intelligi debere ait; qvia φιλάνθρωπ☉ totus peccaverat, qvà animam & corpus ſimul, ideo ϑεάνθρωπ☉ qvoqve totus, qvà animam & corpus ſimul debuit, voluitqꝫ pati, & paſsione ſuâ peccata omnium hominum expiare. VI. Ex ſeqventibus pateſcet, qvando aliunde probaturi ſumus, non ſoli corpori, ſed & animæ paſsiones ſuas eſſe adſcribendas. *Eſ.LIII. 11. Matth. XXIV. 43.* Utitur autem voce carnis potius qvàm hominis Apoſtolus, ad indicandam naturæ in ſe ſpectatæ ἀνυποςασίαν, nempe non perſonam, ſed naturam hominis, h. e. veram & integram humanitatem, propria hypoſtaſi deſtitutam, τὸν λόγον aſſumſiſſe, de qvo anteà.

§. 51. Subjectum autem Qvo 2) *Propinqvum,* α) *Secundarium,* (qvod eſt corpus)

LI. Stante igitur, qvod carne paſſum eſſe, idem ſit, qvod ſecundùm *humanam naturam* pati; jam nunc amplius *Subjectum QVO* paſsionis *Propinqvum* ex ſuperiori diſtinctione conſiderabimus, ita ut primum de *ſecundario* paſsionis ſubjecto, qvod eſt corpus, deinde de *Primario*, animâ ſcil. agamus. Cum enim mortem ſpiritualem (qvo ſenſu infra videbimus) & corporalem animæ & corporis, i. e. internam ac externam ſuſtinuerit, nosq; jam ſuperius non modò extremam Chriſti ſub Pontio Pilato, ſed & inchoatam atqve continuatam per totum vitæ ſpatium paſſionem huc pertinere ſtabiliverimus; hinc æqvum eſt, ut ordine de ſingulis agatur. De ſingulis autem? Imò verò, qvantum qvidem de paſsione Dominicâ ex Evangeliſtarum Hiſtoria nobis conſtat. Qvis enim in infinitate modum inveniet, aut innumeris doloribus corporis & animæ Chriſti numerum conſtituet? cum nec numerum ipſe agnoſcat Servator *Pſ.XL.15.* qvem locum pulchrè illuſtratum vide in *Concion. funebr. Magnif. Dn. D. Carpzov. P.I. p.898.*

§. 52. Per præteritionem.

LII. Neq; verò de iis dicemus, qvibus plenæ ſunt Evangelicæ lineæ tantùm non omnes, qvæq; ſub initium miniſterii ſui ſuſtinuit. Tacemus famem, *Matt. IV. 2.* & *XXI. 18.* defatigationes & ſitim, *Joh. IV.* paupertatem, *Matt. VII. 20.* pericula & perſecutiones, *Joh. VII. 30. & 40.* & qvid non? Majora certè habemus hominum nulli cum Servatore communia; Majores ſeſe aliqvot ante crucifixionem dies offerunt cruciatus: Ignominias autem recenſeamus? ludibria enarremus? infamem vinculorum injectio-

ctionem, violenta ad diverſa judicum tribunalia deductionem, percusſionem crudelem, ignominioſam conſpuitionem, bajulationem crucis, & in cruce ipſa amari potus oblationem extollamus? Sunt, fateor, magni ſatis dolores, & ejusmodi, ut qvemvis facilè in admirationem rapiant, & ſi bonus eſt, lacrymas etiam excutiant. Sed ſunt adhuc crudeliora qvædam, & cum majori conjuncta dolore, qvæ ſangvinem loqvuntur, vulnera narrant, & recrudeſcentes oſtentant cicatrices.

LIII. Ignoſcet nobis Lector meritisſimi noſtri Salvatoris merita ſtylo Diſputationi minus conveniente efferentibus. Videor enim mihi videre, imò ob oculis verſantem patientem Chriſtum, eumq; patientem; in cujus corpore mihi nullum video membrum, qvod non acerbisſimos paſſum fuerit dolores, cum nulla pars cruciatibus vacaverit. Conſideremus deformatum, bajulantem & totum ſudore madentem Meſſiam, à capite ad calcem usqve! Uſurpemus oculis noſtris membra ſingula! Ecce homo! Verticem divinum aculeati perfodiunt ſentes, Oculi pugnis penè rumpuntur, millies colaphis contuſæ malæ, aures cruciantur horrendis blaſphemiis, ori oſculum proditionis figitur teſſera, Lingva potum anhelans fellis amaritie & ſiti torqvetur, Faciem deformant livor, ſputa, cruor. Manus vincula conſtringunt, ferroqve eædem confodiuntur, Humeri excelsâ trabe onerantur, Lacerant dorſum, pectus & brachia hamata flagella, Vulneratur latus & lanceâ transfigitur, Prægrandes clavi pedes perforant, totumqve corpus miſerrimum in modum laceratum in ligno crucis diducitur atqve expanditur!

§. 53. Siſtit Chriſtũ ſecundùm omnes corporis partes patientem, eumqve graphicè deſcribit,

LIV. Horreſco referens qvantum pretioſisſimi ſangvinis copioſè effuderit! Vulnera eqvidem & profluvia ſangvinis numeramus, ſed ſangvinis in univerſum guttas qvis numerabit? Qvis rem conficiet, aut victoriam alterutri adjudicabit, utrum *Alanus de Rupe (in fine de Utilitate Pſalterii Mar.)* qvi 547500, an, *Engelgrav (in Panth. Cœl. P.I.p.237.)* qvi numerum ad 97305. contraxit, causâ ceciderit? Ignorat Scriptura numerum, cum non ſangvinum rivuli, ſed tota flumina, non gutta, ſed unda ſangvinis per omnes corporis partes copioſè emanarit: exclamante

§. 54. & *αἱματεκχυσίας* Chriſti enumerat,

Bern-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

Bernhardo ad verba Pſal. 130. v. 7. Et ſufficit omnes guttas eliciti ſangvinis à Deo eſſe numeratas, nec unicam fruſtrà & præter Dei intentionem expreſſam.

§. 55. qvot vicibus factæ ſint.

LV. Ἁιματεκχυσίας igitur Dominicæ vices numeraſſe contenti erimus, qvas ſeptenarius *(ex Drechsleri Qvæſtione: Num una gutta ſangvinis ſatisfacere potuerit pro mundo ſ. 1. p. 28.)* numerus abſolvet. Nam (1.) primitias hujus ſangvinis cruenta hauſit CIRCUMCISIO, octavo poſt nativitatem die facta *Luc. II. 21.* Qvâ primâ ſangvinearum guttarum effuſione arrham dedit futuræ per ſangvinem ſuum redemptionis, & ſubjectione ſuâ iſtâ ſeſe obligatum reddidit ad totam legem adimplendam, docente *Calovio Syſt. Th. T. VII. art. IV. c. 1. p. 423.* Hanc excipiebat (2.) ἈΓΩΝΙΣΜΟ'Σ ille intenſiſſimus in horto Gethſemanejo à Chriſto exantlatus, ſudore ſangvineo, θρόμβοις ἅιματος (qvod notanter dicitur. Particula enim ὡσεὶ qvod obiter hic notamus non ſimilitudinis ſed veritatis index eſt, uti & *Luc. XXIV. 11. & Act. II. 2. uſurp.*) grumis ſangvineis nobilitatus *Luc. XXII, 4.* Sudaſſe autem Chriſtum ſangvine ſimplici & puro, nec aqvoſo ſùdore permiſto, probat *Clotzius noſter Tr. de Sudore J. C. ſangvineo Exercit. 10. p. 80.* Unde *p. 94.* non naturalem, (qvod ſi non negandi prorſus, imminuendi certè meritum Chriſti animo, ex Jeſuitis *Maldonatus in Matth. XXVI. Franciſcus Collius de ſangvine C. L. III.* aliiq; ad Autoritatem *Fernelii, Rondoletii, Marcelli, Donati* &c. provocantes aſſerunt,) ſed miraculoſum & à cauſa ſupernaturali provenientem ſudorem fuiſſe latius deducit, refutatis ibid. Theologis, Philoſophis & Medicis adverſantibus; inprimis lectionem meretur *Exerc. XV. p. 158.* ubi inauditum hoc ab orbe miraculum fuiſſe probatur ab optimo corporis Chriſti non morbidi temperamento, qvod non patitur ex natura fluores ſangvineos. *Conf. Dorſch. Theol. Zach. P. I. p. 298. & Gerh. Harm. p. 66. ſq.* (3.) FLAGELLATIO in palatio Caiphæ, *Luc. XXII. 63. Marc. XV. 15.* non triginta novem plagis ex lege Judæorum (*vid. Buxtorff. in Epiſt. Lib. de Abbr. Hebr. præfixa*) abſoluta, ſed inauditâ crudelitate, cumulante plagas, ſangvinem profuſiſſimè eliciens. (4.) CORONATIO, coronâ e ſpinis aculeatis contexta, qvæ in majorem ignominiam & ad augendum dolorem ipſi non ſtatim adempta,

Ca-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

Calixt. Harm. Evang. p. 396. caput Chriſti altius infixis aculeis ad
ſangvinem uſqve dilácerans *Matth. XXVII. 29.* Joh. XIX, 2.
(5.) *Qvinta* αἱματεκχυσία EXUTIONI VESTIMENTO-
RUM qvâ vibices vulnerum qvaſi recruduerunt, tribuitur.
Qvo loco alii flagellationem coram Pilato factam, (*Urſinus Paſſio-
nal. p. 298.*) alii vellicationem genuum ſubſtituunt *vid. l. c.* (6.)
Sextam ſibi vendicat TRAJECTIO MANUUM AC PEDUM
Pſ. XXII. 18. (de qvo loco maximè controverſo & hùc omninò
faciente, inprimis de controverſiâ vocis כארי pro כרו vid. *Magnif.
Dn. D. Waſmuthum in Diſputatione inaugurali fuſius agentem : Conf.
Max. Rev. Dn. D. Pfeiffer. de Integritate hujus vocis & Dub. Vex. 663.
B. Scherz. Anti-Bellarm. p. 96. Qvæq; habent Förſterus Diction. Hebr. p.
394. & Marcus Marinus Brixianus in Arca Noe f. 332. Ludov. de Dieu
Animadv. in h. l. Troſtius in* περ]. *nobiliſſ. qvæſt. Theor. 2. §. 9. Calov.
Bibl. Illuſtr. V. T. T. 2. p. 586. Geier. Comment. in Pſ. col. 339. Hotting.
Theſ. Phil. p. 139. Friſchmuth Diſp. ad Pſ. 22. v. 17. c. 2. §. 16.*) qvos cla-
vi tantæ magnitudinis transfixerunt, ut etiam galeæ & freno Im-
peratori Conſtantino conficiendis ſufficerent, teſte *Socrate l. 1. c. 17.*
(7.) Septima conſpicitur in APERTIONE LATERIS, ET
VULNERE λόγχῃ (unde Papiſtis ex ſuppoſititio *Nicodemi Evan-
gelio, & Manuali, qvod falsò tribuitur Auguſtino, Longinus* enatus,
qvem ſangvine Chriſti, qvi ex ejus latere in haſtam, & inde in
manum defluxit, & non mediante manu in oculum ejus venit,
viſum, qvem perdiderat, recepiſſe fabulatur *Hieron. Xavierius
Hiſt. Perſicâ, à Ludov. de Dieu edita p. 489.* novum ipſi inſuper Ina-
giſi vel Ignatii nomen indens; Qvem eo nomine graviter caſti-
gat, *Lud. de Dieu in animadverſ. ad Ejus Hiſtor. Petri Perſicè itidem
conſcriptam p. 120.* eò qvod pro ſalutari Apoſtolorum doctrinâ nu-
gas ejusmodi & fabulas ſuppoſuerit.) Chriſto mortuo à milite
qvopiam periculum forſan facturo, an bonâ fide obiiſſet, (*Calixt.
Concord. Evang. L. VI. c. 15. p. 402.*) inflicto *Joh. XIX. 34.* Dextro au-
tem an ſiniſtro lateri datum ſit vulnus non eſt hujus loci inqvi-
rere. *Xavierius l. c.* pro more ſuo audacter dextrum latus verbe-
ratum dicit: qviq; ſiniſtrum elegerunt, falsâ nituntur hypothe-
ſi, Medicorum omnium dudum exploſâ experientiâ, ac ſi cor in
ſiniſtro lateris parte recumbat, *vid. Bartholin. de latere Chriſti aper-*

to, qvod tamen medium thoracis locum obtinet, cuſpide ejus nonnihil ad ſiniſtrum latus propendente. *Corn. à Lap.* pro utroqve latere aperto pugnat. Evangeliſta certè voce πλευρᾶς litem non dirimit. *Vid. D. Jacobi Tract. de Vulneribus J. C. Cap. 1. §. 15. p. 19.* Adeò in Chriſto impleta ſunt vaticinia, qvæ non guttam, ſed Oceanum qvaſi ſangvinis effundendum indixerunt. *vid. D. Qvenſtedt Theol. Didact. Polem. l. c. th. 37. Dorſch. & Clotz ll. cc.*

§. 56. *Subjectum* qvoq; *Propinqvum.* β) *Primariũ* (qvod eſt anima)

LVI. Ita *Secundarium* Paſſionis *Subjectum externè* paſſum vidimus, videamus & *internum* idqve *Primarium* paſſionis *Subjectum*, Animam patientem non modò *ſecundum partem animæ inferiorem* ſed & *ſuperiorem ejusdem facultatem. Dorſch. Theol. Zach. cap. IIX. §. 175. p. 178.* Nihil autem hic attinet recenſionem & Catalogum inſtituere obtrectationum & calumniarum ab adverſariis in illum congeſtarum, qvippe cum numerum excedant; neqve verò de tentationibus à Diabolo in deſerto factis, licet graviſſimis, qvicqvam dicemus; qvæ tamen ab inchoatâ Chriſti paſſione neqvaqvam excludendæ.

§. 57. Præteritione itidem facta dolorum animæ ex conſenſu dolorum corporis ortorum enumerat paſſiones reliqvas, ut ſunt

LVII. Tacemus etiam dolores animæ Chriſti, qvos ob conſenſum & vinculum naturale cum corpore ex ejusdem paſſione percepit Anima; Non enim potuit non ſentire ſuo etiam modo omnes illos jamjam enumeratos corporis cruciatus, qvos ſanctiſſimum Chriſti ſuſtinuit corpus. Per latus enim corporis læditur Anima.

§. 58. 1. ἀγωνία Chriſti & lucta in horto,

LVIII. Extremæ *paſſionis* initium eſt incredibilis *animæ anxietas*, qvæ cœpit inprimis in horto ad radices montis *Oliveti* ſito, cum acerrima illa ἀγωνίᾳ lucta & certamine *Luc. XXII. 44.* in qvo Servator cœpit λυπεῖσθαι contriſtari, dolore & mœſtitia affici *Matth. XXVI, 37.* (id qvod *v. ſeqv.* per περίλυπον explicatur, qvæ talis eſt triſtitia animæ doloroſa maxima & ſumma, qvæ circumcirca animum occupat & angit) ἐκθαμβεῖσθαι, animo & corpore perhorreſcere, attonitoqve percelli ſtupore, *Marc. XIV. 33.* καὶ ἀδημονεῖν, præ mœrore animi concidere, ex horrore collabi animo & vehementer angi *ibid.* cui adde qvæ ex Salvatoris etiam confeſſione *Johannes* habet *Cap. XII. 27.* inqvientis: ἡ ψυχή μου τετάρακται; ad eum modum qvo aqva turbari dicitur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

LIX. Uti autem Chriſtus in omnibus corporis membris dolores ſenſit, ita etiam ad *omnes ejus animæ facultates*, non tantum *appetitum ſenſitivum*, ſed & *intellectum* & *voluntatem*, pertigit impetus ferientis Patris. Probamus hoc rationibus, (*qvas congeſſit D. Qvenſtedt Syſt. Theol. P.III. c.3. memb.3. ſect.1. p.348.*) ſeqventibus: I. Ex illimitata Chriſti confeſſione, aſſerentis animam ſuam uſq; ad mortem περίλυπον, circumqvaqve triſtem eſſe, (non tantum ſecundum *appetitum ſenſitivum*) *Matth. XXVI. 38. Marc. XIV, 34.* idqve tam *extenſivè*, qvia triſtitia illa & mœror animi uſqve ad ultimum in morte ſuſpirium duravit, tum *intenſivè*, qvia fuit triſtitia intenſiva mortifera, & dolor ipſâ morte gravior & acerbior. II. Ex calicis (in qvo vinum iræ divinæ adverſus peccata æſtuantis & maledictionis infernalis) exhauriendi deprecatione, *Matth. XXVI. 39, 42. & 44.* in qvâ ter repetitâ deprecatione nota *duplicem* in Chriſto *voluntatem* (ex illo: *Verum non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.*) unam divinam, qvæ cum Patre æterno vult paſſionem; humanam alteram, qvam ſuam vocat Salvator, qvæ ita naturaliter refugit diriſſimarum paſſionum calicem, ut tamen voluntati divinæ ſe totam ſubjiciat; qvæqve voluntas ſuperior animæ facultas eſt. III. Ex Chriſti derelictione *Matth. XXVII. Marc. XV. 34*, qvæ infert ſubtractionem ſenſûs gratiæ cœleſtis & ſolatii divini ac beatitudinis præſentis. Et qvalis, qvæſo, fuiſſet derelictio, ſi aliqvam jucunditatis cœleſtis eclipſin, *appetitus* ſolum *ſenſitivus* paſſus fuiſſet, *ſuperiori* interim à pleno beatificæ viſionis jubare colluſtratâ manente facultate. *Conf. Magnif. Dn. Præſidis Diſſ. de Derelict. Jeſu Chr. §.15. cui adde Dorſch. Theol. Zachar. l.c. p.178.* IV. Ex parte noſtrâ (nam tria priora argumenta à parte ipſius Chriſti fluunt) ſic argumentamur: Juxta rationem *animæ ſuperiorem* nos (α) peccato commaculati fuimus, & iram DEI meruimus: (β) graviſſimis conſcientiæ morſibus & motibus ſæpe contriſtamur: (γ) à DEO ob peccatum perenniter ſeparandi, & excludendi à beneficâ DEI viſione, & inceſſante triſtitiâ ob tanti boni immutabiliter decretam carentiam perfundendi ſumus. Ergo & Chriſtum oportuit non ſec. *appetitum ſenſitivum* aut *inferiorem* tantùm, ſed & *ſuperiorem animæ facultatem* triſtitiâ affici & pati.

§. 59. & qvidem ſecundũ omnes animæ facultates, qvod probatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

§. 60. Refutatis Pontificiis aliter ſentientibus.

L X. Refutamus ergò qvorundam Pontificiorũ aliter ſentientium (*vid. Th. Aqvinas Part. III. qv. 46. art. 7. Bellarm. lib. de animâ Chriſti c. 8. & Lib. 2. de VII. verbis Dom. c. 1. Franc. Fevardent. Dial. 1.*) Somnium (1) qvia ἄγραφον non modo, ſed & (2.) ἀντίγραφον, uti ex hactenus dictis, & ex ſtatu κενώσεως, illud ipſum qvod probamus reqvirente, apparet. (3.) Ex nullitate argumentorum, qvibus petitionem principii committunt. Qvod enim illi pro fundamento habent, non potuiſſe animæ facultatem principem triſtitiâ occupari, qvod hæc pugnat cum lætiſſimâ clarâ DEI viſione, & qvâ Chriſtus vi unionis perſonalis inceſſanter gaviſus eſt, nos ſimpliciter negamus ex *argum. 3. ſuper.* (4.) conſenſu aliorum Pontificiorum *Scoti* Lib. *III. ſent. diſt. 13. Nic. de Orbellis Sorboniſtæ Com. in eum locum. Joh. Maldonati, Comment. in Matth. c. 26. Simon. de Caſſia, de geſtis Domini Salv. Lib. 13. c. 27. p. 790. Thom. de Argentina Com. in 3. ſent, diſt. 15. art. 2.* Fabula ergo eſt, imo audacia Papiſtarum, qvod triſtitiam Jeſu *ſolâ parte animæ inferiore* terminatam fuiſſe comminiſcuntur, ut ait *B. Dorſch. Theol. Zach. l. c. vid. D. Joh. Fr. König de dilecto noſtro candido & rubicundo ex Pſ. CX. v. ult. §. 23. ſeq. & Andr. Rivetum Tom. II. Opp. p. 104. 105.*

§. 61. 2. *Derelictio* Chriſti de qva α) *Poſitivè,*

LXI. Inter paſſiones porrò Animæ Chriſti non ultimum locum occupat ineffabilis illa *derelictio Chriſti*, qvâ in cruce exclamavit: Θεέ μου, Θεέ μου, ἱναλί με ἐγκατέλιπες, *Matt. XXVII. 46.* cum non modò ad externas pœnas projectus, ſed & omnis ſolatii & gaudii & gratiæ cœleſtis interiore ſenſu, qvi ex inhabitantis Deitatis adſpectu ac fructu aliàs redundare ſolebat, ad tempus privaretur. Qvod enim in hac privatione forma derelictionis πρώτως atq; principaliter ſit poſita, probatur tum ex emphaſi vocis ἐγκαταλείπειν *Matth. XXVII. 46. Marc. XV. 36.* qvæ talem infert deſertionem, qvâ Chriſtus in diſcrimen adductus, à Deo & Angelis deſertus, etiam divini roboris cohabitantis jucunditatem, (unde planè alia qvàm in horto deſertio, cum ibi ab Angelo corroboratus fuerit, *Luc. XXII. 43.*) non ſentire viſus, Deumqve adeò Patrem averſum à ſeſe expertus eſt; tum ex loco parallelo *Pſalm. IIX. 6.* ותחסרהו מעט מאלהים. Carere eum paululum feciſti DEO, ſenſu gratiæ ac ſolatii ex inhabitante Deitate aliàs redundantis, qvâ ſignificatione vox חסר uſurpatur *Eccleſiaſt. IV.*

8. &

8. & adverbium ומעט parumper denotat breve exinanitionis tempus, qvod eſt מעט in comparatione ad æternam gloriam, inqvit *B. Geierus Comment. in h. l.* vid. omninò *D. Clotzius Tr. de cruciatibus Animæ Chriſti Lib. II. Conſid. XI. p. 160.* Qvæ lamentabilis deſertionis qverela *ex Pſal. XXII. 2.* deprompta eſt, ubi obiter notamus ex *Dn.* Friſchmuths *Diſp. in h. l. c. 3.* Chriſtum non protuliſſe verba Idiomate Hebræo, qvo David Pſalmum conſcripſit, *ſed ſermone Syriaco*, qvem alii *Hieroſolymitanum* appellant, qvod ex verbo σαβαχθανὶ *Chaldæo - Syriaco* apparet.

LXII. Non ergò (1.) in *deliqvio ipſius Divinitatis* τοῦ λόγου, qvæ tale qvid pati non poteſt, conſiſtit derelictio. Nec (2.) in *deſperatione*, qvod olim aſſeruit *Bartoldus Beghardus de Rosbach Spiræ A. 1365. exuſtus*, qvi, ut de eo refert *Abbas Urſpergenſis in Paralipom. f. 361.* impio & blaſphemo ore dixit: Chriſtum in paſſione ſuâ ſic fuiſſe à Patre derelictum, ut præ dolore dubitaverit de ſalute. Qvæ etiam diu ante Beghardum *Gnoſticorum & Valentinianorũ* videtur blaſphemia fuiſſe, qvi Chriſto ἀπορίαν tribuebant, qvam *Corn. & Gallaſius* deſperationem vertunt. Qvàm impiè autem & blaſphemè illud ipſum dicatur, ex ſignificatione deſperationis apparet, qvæ diffidentiam involvit de aſſeqvendâ beatitudine, & oritur ex falſa opinione intellectus, qvòd Deus neget peccatori veniam, habet ſenſum & exiſtimationem ultimæ ſententiæ damnationis, qvòd credat, Deum non poſſe aut velle parcere & misereri, qvorum omnium nihil Chriſto tribui absqve blaſphemiâ poteſt. Nec (3.) ulterius in ſempiternâ & nunqvam finiendâ *reprobatione ſeu rejectione à facie DEI.* Nec (4.) in *ſolutione unionis hypoſtaticæ.* Nec (5.) *ſubtractione communicatæ ex perſonali unione infinitæ ac divinæ majeſtatis.* Nec (6.) in *denegato plenario majeſtatis uſu.* Nec (7.) in *nudâ externi auxilii contra Judæos ſubtractione.* Neqve (8.) in *ſenſu dolorum infernalium* Derelictio illa formaliter conſiſtit.

§. 62. & β) Negativè agitur

LXIII. Dico *formaliter*: Conſeqventer enim agnoſcimus *dolores infernales* præcipuam Paſſionis Dominicæ conſtituere partem *Eſa. LIII. 5. 6. Pſ. XXII. 15. 16. XXXI. 10. 11. 13. XXXVIII. 2. ſeq. XL. 13. LXIX. 2. 3. 4. 8. 10. 21. 2. Cor. V. 21.* Et hìc rectè applicamus, Pontificiorum malè aliàs applicari ſolitam diſtinctionem inter

§. 63. 3. *Dolores infernales* derelictionis conſeqvens.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

pœnam damni, ſecundùm qvam Chriſtum derelictum dicimus, & *pœnam ſenſus*, i.e. ſenſum iræ DEI & infernalium dolorum, qvod probatum vide in ſæpiùs *cit. Diſſert. Dn. Præſidis cap. IV. Aphor. 1.2.* (1.) à formâ derelictionis. Qvia derelictio illa ſeu abjectio à facie DEI non tantùm in ſe eſt pœna infernalis, *2. Theſſ. I. 9.* ſed & neceſſario ac indivulſo nexu ſecum trahit ſenſum dolorum infernalium. (2.) ab *agoniâ*, qvam in horto paſſus eſt Servator, ab Evangeliſtâ vocibus emphaticis περιλυπίας, ἀδημονίας καὶ ἐκθαμβήσεως deſcripta, qvâ poſteriori guſtus inferni natus è ſpectrorũ tartareorũ & fulminis iræ divinæ metu, exprimitur. (3.) à pœnis peccatis noſtris debitis. Qvia peccatis noſtris pœna non tantùm debebatur temporalis, ſed etiam æterna, *Gen. II. 17. Rom. VI. 23.*

§. 64. Qvos qvomodo ſenſerit Chriſtus contra adverſarios docetur.

LXIV. Unde contra *Pontificiorum*, *Socinianorum*, *Novatorum*, *Arminianorum*, *Calvinianorum* & *Flacii* ſententiam concludimus, non eſſe qvæſtionem, *An Chriſtus dolores infernales in τῷ damnatorum tulerit qvoad eſſentiam & qvidditatem*, [in τῷ enim damnatorum Jeſus non militantis, ſed triumphantis more fuit poſt vivificationem, *1. Pet. III. 19. 20.* Neqve *ſecundùm omnes partes & circircumſtantias* omnes omninò dolores infernales toleravit, qvia damnati multas pœnas ſubeunt, qvæ oriuntur ex eorum defectu & imperfectione. Mortem qvidem æternam toleravit Chriſtus, ſed *non æternùm*, ſenſit *æternam mortem*, non item *æternitatem mortis*: ſed potuit Chriſtus infinito pretio per triduum paſſionis ad ultimum qvadrantem totum illud exſolvere, qvod omnes homines debebant: Et *æternitatem temporis, gradus item, partes, & circumſtantias dolorum infernalium infinitas, dolores Chriſti & infinitum pretium compenſant.* Vid. adhuc *D. Clotzius lib. II. de cruciat. animæ Conſid. XII. & de Doloribus Animæ Chriſti lib. II. Conſid. XVII. num. III. ſeq. Dorſchæi Theol. Zachar. p. I. Cap. VIII. Qvenſt. P. III. Theol. Poſit. p. 356. Feurbornii Faſcicul. Diſſert. Tom. II. Diſp. I. Th. 83. ſq. Calov. Tom. VII. Syſtem. art. VI. cap. II. qv. 2. Gieſſenſ. Diſp. Th. Tom. I. Diſp. XIII. theſ. 19. ſeq. Brochm. Syſtem. Theol. l. I. Artic. XVI. ſect. XII. qv. III. fol. 343. Gerhard. Harmon. Evangel. cap. CLXXXII. & cap. CCII. & Confeſſ. Cathol. lib. II. Artic. II. cap. III. th. I. & Diſp. Acad. p. 56. ſeq.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

LXV. De cætero omnes illos tàm animæ qvàm corporis dolores ſuſtinuit Salvator, *non φαινομένως privativè, & κατὰ δόκησιν ſeu ſecundùm opinionem hominum, ſed* ὄντως & κατ' ἀλήθειαν. Ita enim *Eſ. LIII. 4.* אכן Syr. ὄντως vertit (qvod opponitur τῷ φαινομένως) verè langvores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Vid. hoc ſenſu uſurpatam vocem אכן *Gen. XXIIX. 17.* conf. *R. Mardochai Nathan in Concordant. Hebr.* Et certè περιλυπία illa, ἀγωνία, ἐκθάμβησις, ἀδημονία, ſudor ſangvineus per ſummum angorem expreſſus, qverela ſuper derelictione, de qvibus ſupra actum, ſatis demonſtrant, *non ſimulatè, nec ſecundùm apparentiam*, ſed ὄντως, & in rei veritate Chriſtum *qvà corpus, qvà animam* paſſum eſſe. Id qvod etiam ex veritate porrò noſtræ Redemtionis probatur. Si enim Chriſtus verè non eſſet paſſus, nos verè redemti non eſſemus. Qvod notamus contra *Simonem Magum, Saturnianos, Marcitas, Cerdonianos, Marc. Ponticum Cerdonis Diſcipulum, Apellitas, Manichæos, Hilarium Pictavorum in Gallia Epiſcopum*, tandemq; etiam *Aphthartodocitas*, qvi humanam Chriſti naturam nullis paſſionibus, nullicę internecioni fuiſſe verè obnoxium docuerunt, qvod & hæreſεων omnis fons & parens *Simon Magus* cum diſcipulis, & qvi eum ſecuti, verbis paulò aliter formatis, docuerunt: qvæ ex jam dictis ſic ſatis ſunt refutata. Videri poſſunt de his *Evag. lib. 4. c. 38. Aug. T. 6. lib. 29. contr. Fauſt. Manich. & lib. de Hæreſibus c. XIV. Tertull. lib. de Præſcript. adverſus Hæret. c. 51. Annal. Eccleſ. Spondani ad an. Chr. 563. num. I & II.* qvibus adde *Chemnit. lib. de duab. Natur. cap. III.* & *Feurbornii Faſcic. V. Diſſert. Diſp. III. th. 24. p. 118.* Concludimusqve verbis *Irenæi L. III. c. 20. p. 337.* qvi dicunt, eum putativè manifeſtatum neqve incarnatum, neqve verè hominem factum (neqve verè paſſum, uti dixerat *pag. 336.*) adhuc ſub vetere ſunt damnatione, advocationem præbentes peccato non devictâ ſecundum eos morte, qvæ regnavit ab Adam usqve ad Moſen.

§. 65. Omnes autem corporis & animæ dolores non φαινομένως, ſed ὄντως ſuſtinuit, contra Simon. Magum, qviq; eum ſecuti ſunt.

LXVI. Et ſic *de Subjecto* Paſsionis *Qvo*, humanâ Chriſti naturâ, *qvà corpus, qvà animam ſecundùm ſuperiorem & inferiorem facultatem* innumeros & horrendos dolores paſsâ vidimus, idqve occaſione particulæ diacriticæ σαρκὶ, *in carne.* A qvo Subjecto cũ ſupra divinam Chriſti naturam removerimus, unicè nunc inqvi-

§. 66. II. Negative, non divina Chriſti natura, qvæ licet non ſit

remus,

paſſa, Deus tamen paſſus rectè dicitur. remus, qvo ſenſu *Deus paſſus* dicatur, & *cur divina Chriſti natura & Deitas paſſa dici neqveat.* Conceſſimus enim in conſideratione Subjecti *Qvod*, Chriſtum divinâ & humanâ naturâ conſtantem rectè & orthodoxè, adeoqve Deum etiam verè dici paſſum vi unionis perſonalis, qvia Filius DEI appropriando ſibi carnem, appropriavit etiam ſibi carnis paſſiones. Ut qvàm verè caro propria eſt Filio Dei per perſonalem unionem, tàm verè etiam paſſiones carnis ipſi ſint propriæ per communicationem.

§. 67. Et qvomodo paſſus ſit.

LXVII. Qvicqvid enim abſurditatis hîc fingunt *Zvvinglius Tom. II. Oper. fol. 457.* & ejus ſectatores, id ipſimet S. Scripturæ impingunt, qvæ & Deum ſangvinem effudiſſe *Actor. XX. 28.* & Dominum gloriæ crucifixum, *1. Cor. II, 8.* & Autorem vitæ interfectum fuiſſe *Act. III. 45.* aſſerit. Qvo autem modo Chriſtus ipſe, Deus verus ſit paſſus, animadvertendum eſt. Paſſus enim eſt (1.) *Non merè verbaliter*: ſecus paſſio Chriſti non verè fuiſſet mortis & inferni victrix. (2.) *Neqve eſſentialiter*, qvod Chriſtus Deus æternus modo naturali & eſſentiali fuiſſet paſſus & mortuus. Secus ὀσιωδῶς Filius DEI eſſet homo, & invaleſceret *Eutychianiſmus.* (3.) *Neqve per ἀλλοίωσιν Zvvinglii*, qvâ una natura ponitur pro alterâ, & ſic nominato Filio DEI intelligitur natura humana h. m. ut Propoſitio: *Deus eſt paſſus*, non ſupponatur pro eo, qvod per vocem *DEUS* propriè & uſitatè ſignificatur, ſed exponenda ſit per illam: *Natura humana eſt paſſa*; Qvæ ἀλλοίωσις cum ſit *excluſivæ Perſonæ*, alia eſt ab ἀλλοιώσει *Damaſceni.* conf. *Chemnit. de duab. Nat. c. 13. Menzerus Anti-Sadeel. p. 112. Gerh. Exeg. L. de P. C. c. 11. §. 193. Danhauer. Hodoſ. Ph. 8. p. 649. Chriſtoſoph. 82. Hodomor. Calv. Phant. 8. p. 1409. Calov. de P. C. Contr. 4. p. 193.* (4.) Neqve *per divulſionem Bezæ, Danæi*, & aliorum Calviniſtarum, *qvòd tantùm humana Chriſti natura ſit paſſa.* Ita enim Calviniani particulam excluſivam *Perſonæ, non naturæ* opponunt, qvæ ſententia ex ipſorum hypotheſi, *propria ſcil. non poſſe alteri communicari, ne qvidem per unionem*, neceſſariò fluit. *vid. Feurborn. l. c. p. 120.* Et qvalis eſt iſta unio Calvinianorum, qvâ caro ſolùm ſuſtentatur in DEO. Verbo, juxta hæc Bremenſium: *Suſtentari carnem in DEO, nihil eſt aliud, qvàm unitam eſſe Verbo perſonaliter. Hunnius l. c. p. 386.* (5.) Neqve per *Synecdochen Martinii*, refutatam *ibid.* (6.) neqve acciden-

accidentaliter, qvia ipſa unio non eſt accidentalis. Redit ergò (7.) qvòd Paſſio propriâ & verâ prædicatione *Perſonaliter* Chriſto Deo tribuatur ex perſonali unione & realisſimâ appropriatione. Nam qvàm propria eſt Chriſto ſua Deitas *οὐσιωδῶς*, tàm propria ipſi eſt ſua humanitas *ὑποστατικῶς*, proindeq́; & humanitatis pasſiones ipſi ſunt appropriatæ perſonaliter, & conſeqventer *ὄντως καὶ ἀληθῶς*.

§. 68. Solam enim humanitatem eſſe paſſam, falſum eſt.

LXVIII. Hinc falſa eſt illa Propoſitio: *Sola humanitas eſt paſſa*, qvam tanqvam Neſtorianam & hæreticam damnamus. Itaqve cautè loqvendum: *Perſona qvidem paſſa eſt ſecundùm ſolam humanam naturam*, eam verò ſibi perſonali *κοινωνίᾳ* factam planè propriam. Ubi *pati* ſic ſtatuitur *ſolius humanitatis proprietas*, ut nihilominus perſona, cujus hæc humanitas perſonali unione propria eſt, neutiqvam à pasſione excludatur. Si autem qvis humanitatem ſolam pati dicat, excludit aſſumentem perſonam. Siqvidem *humanitas non perſonæ ſed naturæ vox eſt*, cui adjecta particula excluſiva (*ſola*) à pasſionis ſocietate arcet, qvicqvid non eſt humanitas illa Chriſti; qvæ ſunt verba *Hunnii l. c. p. 382.* Qvæ ut eò meliùs intelligantur, notandæ hæ duæ Propoſitiones, qvarum Prior: *ſola humanitas eſt paſſa*; Altera: *ſolius humanitatis proprietas eſt pati*. *Poſterior* vera, *prior* falſa. Hinc qvando *Grabius*, *Pezelius* & alii ex Calvin. in unione etiam ſimpliciter dicunt, *ſolius humanitatis eſſe pati*, excuſari minimè poſſunt, excuſandi certè, ſi adderent: *eſſe ſolius humanitatis PROPRIETATEM.*

§. 69. Ubi ſimul Tubingenſes & Lutherus explicantur & excuſantur.

LXIX. Qvando autem *Tubingenſes* & alii Theologi divinitatem ſuo modo pasſionis factam participem tradunt, (qvi hunc præfixum ſibi ſcopum habuerunt, ut eò fortiùs eliderent *Zvvinglianam ἀλλοίωσιν*, filiam illam ſive larvam Diaboli, ut *Lutherus* vocavit, qvæ verborum permutationem, loco DEI hominem, loco hominis DEUM, & verba ſine rebus infert) *in perſonâ* hoc intelligunt. Haud aliter ac *Johannes λόγον ipſum Apoſtolorum oculis conſpectum* aſſerens *1. Ep. I. 1.* non dubitat *abſtractâ voce* id ipſum exprimere, qvando vitam æternam (h.e. *λόγον*) manifeſtatam & viſam memorat *v. 2.* In qvam ſententiam qvoqve *B. Lutherus* ſcribit *Tom. II. Witteberg. f. 188. Si fortè ratio objiciat, qvòd Divinitas nec pati, nec mori posſit, tu vicisſim reſponde; verum hoc qvidem eſt: ſed tamen qvia divinitas & humanitas una ſunt perſona, ideò Scriptura pro-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

pter unitatem iſtam perſonalem etiam Divinitati adſcribit omnia, qvæ humanitati competunt. Conf. *Hunnius l. c. p. 386.*

§. 70.
Imò etiam Patres ante mota certamina Eutychiana & Neſtoriana minus cautè locutos oſtenditur.

LXX. Et ſanè ipſi etiam orthodoxi Patres, qvod monet *Chemnitius l. de duabus naturis in Chriſto c. 15. p. 76.* præſertim *ante mota certamina Neſtoriana & Eutychiana* aliqvando minus diligenter & propriè locuti ſunt. Sæpè enim vocabula *concreta* poſuerunt pro *abſtractis*, qvando de *naturis* loqvuntur: & *abſtractis* vocibus ſæpè utuntur, qvando *perſonam* deſignare volunt. Unde qvasdam Patrum orthodoxorum locutiones huc apponemus: Sic *Athanaſius ad Liberium:* Λόγος paſſiones ſuſtinuit, ut homo, non ipſe. *Amphilochius apud Theodoretum:* Si vultis ſcire, qvomodo Pater major me eſt, id dixi ex carnis non ex divinitatis perſona. Eadem phraſis extat etiam apud *Epiphanium contra Ariomanitas*, cum *inqvit:* Deus meus, cur me dereliqviſti, non ἐκ προσώπου Deitatis hæc dicit, ſed ἀπὸ προσώπου humanitatis. Inde verò *Neſtorius* poſteà duas in Chriſto perſonas finxit. *Concilium Spalatenſe* citat *Auguſtini* ſententiam *in Johann.* Nec anima mortua eſt, nec Verbum, Caro tamen mortua eſt, ut in eâ mors moreretur. *Vigil. lib. 1.* propter ſingularitatem Perſonæ & mors ad Divinitatem, & im̄ortalitas ad Dei refertur humanitatem. *Lib. 4.* Conſtat, divinitatem humanitatis habere vocabulum, h. e. verbum dici carnem, qvia utrumqve unus eſt Chriſtus. *Libr. 5.* citat *Hilarii* ſententiam: Mors homini, Deo verò excitatio carnis deputatur. Qvibus impropriis locutionibus veterum, *Neſtoriani* poſteà & *Eutychiani* abuſi ſunt ad errores ſuos palliandos, *qvòd ſc. vel Deus, vel homo tantùm pro nobis paſſus & mortuus ſit.*

§. 71.
Unde Eutychianis & Neſtorianis occaſio erroris & materia.

LXXI. Inprimis teſtatur *Chriſtianus Lupus, Ord. FF. Erem. S. Auguſtini & S. Theol. in Alma Lovanienſi Univerſitate Doctor, in Scholiis ad variorum Patrum Epiſtolas, concernentes acta Epheſini & Chalcedonenſis Concilii Lovanii 1682. editas*, palmare fundamentum *Eutychianæ & Neſtorianæ Hæreſeos* fuiſſe *capitula S. Cyrilli Epiſtolæ tertiæ.* Ita enim ille pro ratione affert *p. 51.* qvòd *tertia hæc Cyrilli ad Neſtorium Epiſtola* non fuerit ſtabilita omnium ſuffragiis & ſubſcriptionibus: Veram rationem ſuprà nobis edixit *Epheſinus Hypatius:* Epiſtola duarum ſubſiſtentiarum intulit mentionem, propterea eam propriè nominare diſtulerunt. *Vox Hypoſtaſis eſt æqvivoca.* Eam Patres qvandoqve *pro naturâ aut ſubſtantiâ* accipiunt,

piunt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

piunt, qvandoqve *pro ſubſiſtentiâ & perſonâ. Cyrillus in ſuis capitulis accepit utroqve modo. Tertium* namq; *capitulum* affirmat inter Dominicas Hypoſtaſes, non ſolam paris dignitatis aut poteſtatis conjunctionem, ſed naturalem etiam interceſſiſſe unionem. Iſtam vocem palam accepit pro *eſſentia*. Et hoc *in undecimo ſuo libro* inſigniter oſtendit *Facundus Hermianenſis Epiſcopus*. Qvod ipſum amplè demonſtrat *in ſuâ cum Acephalis diſputatione Ruſticus Diaconus Romanæ Eccleſiæ*. Hæc æqvivocatio qvibusdam *Epheſini Concilii Patribus* non placuit. Nec ſine fundamento. Etenim ſignificatio, qvâ iſta vox *Perſonam* importat, eſt apud Eccleſias omninò famoſior. Hinc iſtud *Tertium Capitulum* poterat *Neſtorii* ſectatoribus eſſe petra offenſionis & ſcandali. *Et paulo inferius:* Unum è palmaribus *Eutychianæ* blaſphemiæ fundamentis erant *Capitula*. Qvamvis *Monſ. de Moni* in Tract. cui Tit. *Hiſtoire Critique de la Créance & des coutumes des Nations du Levant*, IV. Obſerv. putet, *que le Neſtorianiſme n' eſt qu' une Hereſie de nom, & que ſi Neſtorius & S. Cyrille ſe fuſſent entendus ils auroient empêché par là un grand ſcandale dans l' Egliſe*. Qvod fortè non improbabiliter dicitur.

LXXII. Sed mirum tamen profectò eſt, adeò pueriliter ſeſe in hoc certamine geſſiſſe *Neſtorium*, ut conceſſis præmiſſis conclusionem negaverit, qvod ὑπερκαταγέλαστον. Ecqvid enim hoc argumento clarius; Chriſtus eſt crucifixus, Chriſtus eſt Deus, E. Deus eſt crucifixus, cujus concluſionem præmiſſis conceſſis non admittebat. Sed prout Vir ille lingvâ magis qvàm ingenio pollebat, majorisq; facundiæ qvàm doctrinæ erat, intolerabilis faſtus, qvod vel inde apparet, qvòd jactârit, ſe fore Concilii Epheſini Præſidem, & *Theodoſio* cœlum promiſerit, ſi terram ab hæreſi purgaret, credens ſuſpicionem hæreſeos in ſe non poſſe qvidem cadere (*Lupus l. c. p. 4. 9. & 18.*) non didicerat diſtingvere inter *concretum* & *abſtractum*, metuebatqve *ne ipſa Deitas paſſioni & morti obnoxia* crederetur, ſi *Deus paſſus eſſe* dicatur & mortuus. Hinc Chriſtum Deum natum ex fœminâ, jacuiſſe in cunis pannoſum, ſordidum, involutum, creviſſe & profeciſſe ætate & ſapientiâ, eſuriviſſe, ſitiviſſe, laſſum ex itinere qvieviſſe, comprehenſum manibus impiorum, judicatum, damnatum, crucifixum, latus lanceâ perforatum, mortuum ac ſepultum & reſurrexiſſe, nefas

§. 72. Licet Neſtorii inſcitiæ plurimum tribuendum ſit.

 puta-

putavit Neſtorius dicere. *vid. Luth. lib. de Conciliis Tom. VII. Jen. Germ. fol. 248. 6. & lib. de Cœnâ Tom. III. Jen. Germ. fol. 455. b. conf. Magnif. Dn. D. Kortholt Diſſert. de Chriſto Crucifixo cap. 4. p. 64.*

§. 73. Hæc interim propoſitio: *Deus eſt paſſus*, nunc damnata à Patribus, nunc probata.

LXXIII. Qvanqvam autem de Propoſitionis hujus veritate: *Deus eſt paſſus*, nos certo perſvaſi ſimus, mireris tamen nunc probatam nunc damnatam eſſe, etiam ab Orthodoxis & cætera rectè ſentientibus Doctoribus. Ita namqve olim ex Zelo qvodam ſingulari non ex Eutychiano Spiritu *Johannes Maxentius in ſuis contra Neſtorianos Capitulis* ſcripſit: Si qvis dicit Chriſtum paſſum carne, DEUM vero paſſum carne non acqvieſcit dicere, qvod ipſum intelligitur, Chriſtum paſſum carne, anathema ſit. Nempe hæc Propoſitio: *Chriſtus eſt paſſus*, licet Apoſtolica & longe orthodoxiſſima ſit, iſto tamen tempore etiam ad tegendos & in ovis ſpeciem transfigurandos lupos erat apta lana, ideoqve Doctores cenſuerunt eam circumſcribendam, atqve ita doloſis *Neſtorii* ſectatoribus auferendum iſtud latibulum. At vero *Eutychianis* ſimile latibulum ſimilisqve lana fuit hæc Propoſitio: *Deus eſt paſſus ac mortuus*. Hinc ipſam *Fauſtus ac Pamphylus* adverſus iſtos graſſantes errores cenſuerunt iſto tempore ſupprimendam, non uti falſam, ſed uti periculoſam ac ſcandaloſam, utpote qvæ Petro Fulloni præberet occaſionem patiendæ ac faciendæ ruinæ. Ejusdem mentis fuit *S. Qvintianus Epiſcopus*. Etenim adverſus *Fullonem* poſuit hoc Anathema: *Si qvis confundat duas Chriſti naturas, dicens Deum paſſum carne, & nò paſſum Chriſtum carne, damnetur*. Propoſitionem damnat, qvod *Fulloni* præberet anſam confundendi Dominicas naturas. *Lupus l. c. 356. 357. & ſeqq.* Et *Fauſtus Apolloniadis Epiſcopus in literis ad eundem Fullonem*; Audientes infideles, Deum immortalem propter nos crucifixum, dicent, ſcandalum eſſe credere in Chriſtum, avertentes & dicentes: Dii noſtri, qvi apud Chriſtianos populos adulteri ſunt, immortales à nobis appellantur, & qvomodo ipſorum Deus immortalis exiſtens, mortuus eſt? Manifeſtum indicium, qvod falſa eſt dictio iſta. Si enim mortuus eſt, non eſt immortalis. Qvam tamen Propoſitionem non in qvovis ſenſu falſam affirmat.

§. 74. Similiter hæc: *unus è Trinitate paſſus*.

LXXIV. Et *Acacius Conſtantinopolitanus in ſuâ ad Fullonem Epiſtolâ Tom. X. Concilior. p. 58.* improbat in eo qvod docuerit, *unum è Trinitate pati*, qvi eſt ineffabilis ſapientia Dei Patris, h. e. ipſius ſplen-

ſplendor & character ſubſtantiæ ipſius; qvod & *Felix III. Epiſcopus Rom. Ep. ad ipſum ſcripta Tom. X. Concil. p.26. ſq. eidem tribuit.* Qvam ipſam aſſertionem *Proclus* (qvi *Sancti Cyrilli Capit 12.* ſtabilivit (etiam contra *Neſtorium* confirmavit, contra qvam deinde Neſtoriani tot horrendas concitarunt turbas. Et poſtea *Joh. Maxentius* & alii cum ipſo *Scythiæ Monachi*, legati ad ſedem Apoſtolicam eandem loqvendi rationem acriter propugnârunt. vid. *Magnif. Dn. D. Kortholt l. c. p. 75.*

LXXV. Interim rectè damnatum Neſtorium ob denegatam hanc Propoſitionem: Deus eſt paſſus, ipſa agnoſcit Antiqvitas; qvod vel ex *Synodali ſermone S. Theodoti Ancyrani Epiſcopi* patet, ubi duas illas Propoſitiones: *Deus eſt paſſus*, *Deitas eſt paſſa* diſtingvit. Primam orthodoxam, ſecundam affirmat eſſe ſuſpectam, malè ſonantem, ſcandaloſam & omnino cavendam. (vide qvæ habet in Hiſtoriâ Eutychianâ & Neſtorianâ Autor anonymus libri, Pariſ. 1682. impreſſi ſeq. Tit. Le Theologien dans les converſation avec les ſages & les grands du monde. Entret. VI. à pag. 282. ad 341.) Namqve orthodoxi & factioſi Legati in Principis conſiſtorio diſputaverant *de duodecimo capitulo Cyrilli*, qvod affirmat: *Deum verbum fuiſſe carne paſſum ac mortuum:* Et in ejus defenſione *Acacius* dixit, etiam *Deitatem paſſibilem ac paſſam*, non in ſemet ipsâ, ſed in aſſumptâ carne. Qvibus adeo motum ſcribunt *Epiſcopi Orientales in Epiſtolâ ordine XXVII.* Imperatorem Theodoſium, ut blatteam chlamydem, qvâ induebatur, excuteret, (*qvem deteſtandæ blaſphemiæ morem adhuc dum obtinuiſſe, hic obiter obſervamus*) ſeqve retro ſubduceret præ magnitudine blaſphemiæ. Inprimis autem accuſaſſe dicitur *Johannes Antiochenus* hanc *Acacii* hæreſin, qvod *ipſam Divinitatem* blaſphemaret *paſſibilem & paſſam*. Unde controverſiâ ortâ: An iſta Propoſitio ſit omnino hæretica, & reverâ incidat in blaſphemiam ſceleratam *Polemonis*, *Ferrandus Eccleſiæ Carthaginenſis Archidiaconus* hanc qvæſtionem *S. Ruſpenſis Eccleſiæ Antiſtiti Fulgentio* propoſuit: utrum Dei Filius, ſicut dicitur natus, paſſus, mortuus, crucifixus, ita ejus Divinitatem confirmare nos oporteat natam, paſſam, crucifixam. Qvamvis ſive Deus nominetur, ſive Divinitas, ſola caro intelligatur mutabilis atqve paſſibilis, ſecundum qvam Deus aut Divinitas potuit, qvod in ſuâ naturâ non potuit. Et *S. Fulgentius* ad hæc: His tuis verbis breviter

§. 75. imò & illa: *Divinitas eſt paſſa.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

viter reſpondeo: Qvicqvid horum dicatur, nihil præjudicare fidei, qvâ veraciter Eccleſia Catholica credit, & prædicat *Divinitatem Filii impaſſibilem*, atqve incommutabilem permanere. Ita *S. Vigilius Tapſitanus in Byzacio Epiſcopus ſcribit in ſecundo libro contra Eutychianos:* Paſſionis injuriam etiam Divinitas pertulit, ſed paſſionem ſola ejus caro perſenſit. Dicam adhuc manifeſtius: *Confixa eſt Divinitas clavis*, ſed ipſa penetrari non potuit. Siqvidem vulneri locum caro patefacta aperuit.

§. 76. qvam Fulgentius paſſam Carne, nō compaſſam Carni dicit, contra Arrium.

LXXVI. Alii (qvorum Catalogum & loca allegata invenies *Cent. Magdeb. Cent. VI. Cap. IV. p. 134.*) inter qvos præcipuè *Fulgentius*, litem dirimunt, diſtinctione factâ inter *pati carne* & *compati carne*; ita enim ille *lib. 3. ad Thraſim.* Reſtat igitur, ut Divinitatem Chriſti, qvam immutabilem S. Scriptura commendat, ſic *paſſam* fateamur *in carne*, ut eam tamen credamus *compaſſam non fuiſſe cum carne.* ET ALIBI: Aliud eſt *in carne paſſum Deum* dicere, aliud *carni* prædicare *compaſſum*. Paſſus enim eſt Deus in homine, qvia una eſt Dei hominisqve perſona, non eſt compaſſus DEUS homini, qvia in uno Chriſto non eſt confuſa DEI hominisqve ſubſtantia. Qvæ oppoſita videntur blaſphemo *Arii* dogmati, qvi Deum verbum ex Origene dixit non eſſe aliud, qvam primam mentem, ideoq; Chriſto Domino ipſū fuiſſe loco animæ, imo ipſam animā. Hinc concludit, Deum verbum ejusq; Divinitatem fuiſſe Chriſto Domino patiente, licet non paſſam tamen compaſſam.

§. 77. Unde Nicæna & Conſtantinopolitana Synodus in Symbolis ſuis huc reſpexerunt.

LXXVII. Hinc *Nicæna Ario oppoſita & Conſtantinopolitana Synodus* in ſuo ſymbolo profitentur: Jeſum Chriſtum eſſe verum Deum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per qvem omnia facta ſunt (*& ſtatim ſubnectunt*) QVI propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit & incarnatus eſt, & paſſus eſt. Et hunc eſſe verum & authenticum *Nicænæ Synodi* ſenſum, contra *Paulianiſtas, Photinianos ac Neſtorianos* ſemper inculcârunt, ac variè demonſtrarunt omnes ſubſeqventes Synodi, omnes Latini ac Græci Patres. Articulum hunc adeo probavit Eccleſia Romana, ut ipſum poſtmodo inſeruerit *profeſſioni ſuorum Pontificum:* Qvi cum Deus ſit conſubſtantialis Patri, atqve coæternus, deſcendit de cœlo atqve incarnatus eſt, carne habente animam rationalem, in qvâ carne crucifixus & mortuus eſt. Ita apud diurnum Romanæ Eccleſiæ librum habet ſecunda Pontifi-

cis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

cis Profeſſio teſte iterum *Lupo p. 354.* Imo teſtatur etiam *caput CLXVII. Epiſtolar. Concil. Epheſ. Varior. Patrum p. 336.* referente *Epiſcopo Alexandro*, qvód in totâ Ponticâ regione tandem *Deus paſſibilis* (ita enim verba habent) *prædicatus fuerit.*

§. 78. Qvo autem ſenſu vel negarint, vel affirmari ut Patres, Deum paſſum, divinitatem paſſam.

LXXVIII. Ex his Orthodoxorum & Heterodoxorum teſtimoniis, per lancem ſaturam, non tamen absqve ordine prolatis, nemo non videt, ab utrisqve modo affirmatam modo negatam qvæſtionem. Qvo autem qviſqve ſenſu vel negaverit vel affirmaverit, partim ex collatione ipſorum Patrum ratione antecedent: & conſeqv. partim ex adverſariis, qvibus cum controverſia illis interceſſit, imo etiam ex orthodoxiâ & heterodoxiâ uniuscujusqve præſumtâ & aliunde notâ colligi, & hinc explicatio inſtitui jure poteſt. Hinc qvando cum *Eutychianis* res fuit Patribus Orthodoxis, ſæpius negarunt, *Deum eſſe paſſum*, & ſubſtituerunt *Chriſtum paſſum*, ne occaſionem inde ſumerent confundendi naturas, qvod de *S. Qvintiano Epiſcopo contra Fullonem* eſt clariſſimum. Rurſus qvando *Neſtorio & Neſtorianis* ſeſe oppoſuerunt, non modo *Deum paſſum* rectè affirmarunt, ſed & eò, fermè dixerim, audaciæ proceſſerunt, ut *divinitatem etiam* aſſeruerint *paſſam*; qvem Zelum & intentionem etiam deprehendes & excuſabis in *Würtenbergenſibus*, ἀλλοίωσιν *Zvvinglianam* expugnantibus: Plane in eundem ferè modum, qvo *Neſtorius* aliis hæreticis, & *Eutyches* Neſtorio ſeſe opponendo, in contrarios inciderunt errores, niſi qvod ſenſu orthodoxo illi locuti orthodoxè ſe explicarint: hi errore illis exprobratô conſtanter hæreſi inhæſerint, & heterodoxè inſuper explicarint.

§. 79. Ubi Patrum religioni & piæ hæſitationi aliqvid tribuitur.

LXXIX. Anne etiam ignorantiæ dubitationi & religioſitati in S. Scripturã, aliqvid tribuendum ſit, judicandum lectori relinqvo. Scilicet qvidam S. Scripturæ literæ inhærentes ulterius progredi non ſunt auſi, neq; deductiones, orthodoxas licet, concedere religioſè voluerunt. Hinc ortâ novâ controverſiâ & novâ locutione, in Scripturis non κατὰ ῥητὸν extante, per bonam tamen conſeqv. inde eliciendâ, vel hæſitarunt, vel heterodoxias Autorem condemnarunt, vel rectè dicta malè ſunt interpretati, qvi ex adverſa ſteterunt parte. Et ne ſimpliciter absqve ratione illud dixiſſe videamur, prodeat in medium *Hormiſda P. R.* cui, cum *Johannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus* magis ad *Victorem*

Diaco-

Diaconum, qvam ad *Monachos Scytici generis* (qvi, improbante id Victore, acriter Propoſitionem, qvod *unus de Trinitate ſit paſſus*, propugnarunt) inclinaret, & Monachi cauſſam ſuam Romæ apud ipſum Pontificem agerent, ſententiam tamen ſuam, etſi ὀρθοδοξοτάτην probare non potuerunt; eſtq; eadem Hormiſdæ, qvæ in Neſtorio fuit, inconſiderata puerilitas, qvâ in hoc argumento: *Filius Dei eſt paſſus, Filius Dei eſt unus de Trinitate, E. unus de Trinitate eſt paſſus*. concluſionem ſi non negavit, certè in dubium vocavit, cum præmiſſas negare non potuerit. Et certè antiqva Concilia Patresq; orthodoxos veteres ῥῆσιν hanc ſuo calculo omninò comprobaſſe ex *Petav. Theol. Dogm. T.IV. l.1. c.18. l.5. c.2,3.* probat *Dn. D. Kortholt l.c. p.76.* ubi ſimul notatum videbis celeberrimum Añaliſtam *Baronium ad annum I) XIX, 99.* pro Rom. Pontifice tanqvam pro aris & focis militantem, qvod prudenter & rectè monachorum formulam rejecerit. Adde etiam *Forbeſii Inſtruct. Hiſtor. Theol. 3. c. 21.*

§. 81. attamen excuſantur

LXXXI. Diſtingvimus ergò: Qvæcunqve ex hiſtoriæ Eccleſiaſticæ antiqvitate hactenus citatæ fuerunt Auctorum aſſertiones. Scil: Qvidam dicunt *Deum eſſe paſſum & mortuum* orthodoxo, qvidam negant heterodoxo ſenſu: Qvidam negant ſenſu orthodoxo, qvidam heterodoxo ſenſu affirmant. Vel: ſi in ipſis locutionibus differentiam ponere libet; aliæ ῥήσεις ſunt rectè ſentientium, verbis licet heterodoxè apparentibus propoſitæ; aliæ heterodoxorum, verbis ex inſtituto heterodoxis propoſitæ.

§. 81. per additas particulas diſtinctivas, & diverſimodè appoſitas.

LXXXI. Hinc qvando Patres, cætera orthodoxi (heterodoxorum enim, cum excuſationem non mereantur, patrocinium etiam nos non ſuſcipiemus) ejusmodi utuntur propoſitionibus, qvæ hæreſi alicui favere videri poſſint, ſemper ſive negent, ſive affirment Deum paſſum, orthodoxiæ eorum conſuli poſſe exiſtimo *additis particulis diſtinctivis*, qvas vel alibi appoſuerunt, vel ſi adhuc ſuperſtites mentem ſuam explicare deberent, non aliter ſeſe tuerentur: Ita ut rectè utrinqve dicatur: *Deus eſt paſſus* (ſecundùm carnem) & *Deus non eſt paſſus* (ſecundùm Deitatem, ſed ſec. carnem) imò ipſam etiam Deitatem qvi dicunt paſſam, inveniunt in S. Scriptura ejusmodi aſſertiones, qvibus ſeſe tueri poſſint. Neqve enim ſanctiſſimos Patres aliter, qvàm ipſum noſtrum Lutherum excuſamus, de qvibus jam ſupra: *vid. Gerhardum*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

hardum Conf. Cath. L. II. Art. II. App. p. 504. B. Lutherus contra Bellarm. præfat. lib. de C. & Jodoc. Coccium T. 1. Theſ. Cath. l. 1. art. 1. defendentem, idem pro Patribus defendendis reſpondemus.

LXXXII. Interim cum B. *Gerhardo in Exeg. p. 474. Brochmando Loc. de Chriſto p. 399. Feurborn. Faſcic. V. Diſſ. Theol. Diſp. III. in Coroll. p. 141.* tutius abſtineri ab his formulis (*Deitas eſt paſſa, clavis confixa, mortua*) cenſemus, qvia (1.) in ſe ſpectatæ ſunt falſæ. Deitas enim ſimpliciter eſt ἀπαθὴς, immutabilis & immortalis, adeoq́; paſſioni alicui aut morti ſubjici neqvit. (2.) *nec orthodoxa*, qvia Scriptura illas ignorat, & à Patribus, contra Eutychianos diſputantibus, reprobatæ & damnatæ. (3.) ab ipſa *Formul. Conc. p. 766. & 807.* repudiatæ. (4.) *Eutychianæ*, ſpeciem enim aliqvam Eutychianiſmi præ ſe ferre videntur, ideò qvia Eutychiani illis etiam uſi ſunt. Unde *Cyrillus Alex. Athanaſius*, aliiqve qvos ſuprà allegavìmus, hanc locutionem improbant. Sic *Damaſc. l. 3. de Orth. fide c. 26*, ſciendum, *inqvit*, qvod dicimus, Deum carne paſſum, divinitatem autem carne paſſam, aut Deum per carnem paſſum neqvaqvam. Et *SS. & Oecumenica Synodus Chalcedonenſis* de Concilio Sacerdotum repellit, qvi paſſionem unigeniti Deitati ipſius adſcribere, atq; divinitatẽ ipſius paſſibilem aſſerere audent. *Tom. I. Concil. edit. Colon. p. 884.* Argumentorũ autem, qvibus pugnant, qvi abſtractivas locutiones mordicùs defendunt, & concretivis loqvendi modis præferunt ſolutiones. *vid. ap. Brochm. l. c. p. 399.*

§. 82. Tutius tamen abſtinetur ab his,

LXXXIII. Apponem⁹ autẽ inſuper huc alias loqvendi formulas, à qvibus antiqvitas & Theologi abhorrent. Ita minus rectè Divinitas carne paſſa & Deus per carnem paſſus dicitur *Damaſceno l. c.* Deus carni compaſſus, Divinitas carnĩ compaſſa, Divinitas in homine eſt compaſſa, Deus compaſſus eſt homini, Deitas cum anima contriſtatur, *Fulgentio l. 3. ad Thraſim.* Deitas in ſeipſa eſt paſſa, Duæ Chriſti naturæ unitæ ſunt paſſæ *Feurb. l. c. p. 115.* Divinitas eſt mortua, Divina Filii natura patitur, Chriſtus qvoad utramqve naturam eſt paſſus *Gerh. Exeg. p. 474.* Sola humanitas eſt paſſa, *Hunn. Comment. in Epiſtolam ad Eph. p. 382.* A qvibus & hujus generis locutionibus aliis, partim falſis, partim ſuſpectis omninò abſtinendum. Pro his dicimus: *Deus carne paſſus eſt*, vel *ſecundum carnem. Chriſtus in duabus naturis exiſtens paſſus eſt. Solius humanitatis proprietas eſt pati* &c. Deitatem verò τȣ λόγȣ neqve

§. 83. & aliis loqvendi formulis.

 in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

in ſe, neqve in carne paſſam dicimus, ſed Deum, Dei filium, Chriſtum θεάνθρωπον in aſſumpta ſua humanitate paſſum & mortuum eſſe cum Scriptura & S. Patribus (*vid. Chemnit. toto cap. 15. de 2. nat.*) aſſerimus.

§. 84.
Alio tamen reſpectu divina natura à paſſione non excludenda.

§. LXXXIV. Interim alio reſpectu divina τῦ λόγυ natura à paſſione non prorſus excluditur. Carnem enim patientem ſibi perſonaliter unitam ſuſtentavit, corroboravit, & conſervavit, paſſiones illius voluit & permiſit, (& ſic qvievit, uti *Irenæus* loqvitur, qvæ tamen ſententia non ita depravanda qvaſi divina natura otioſa fuerit, ſed qvia tota plenitudo divinitatis corporaliter inhabitans in Chriſto, facile potuiſſet propulſare omnes injurias, paſſiones & mortem adeò ipſam, hinc dicit qvieviſſe λόγον, in hanc ſc. ſententiam qvatenus permiſit) illas mediante hypoſtaſi ſibi appropriavit, illis infinitum pondus addidit, & toti generi humano eas ſalutares fecit. Qvod alii ita exprimunt, concurrere divinam Chriſti naturam ad mortem (1.) ὑποςατικῶς *ſeu perſonaliter*, qvia tota perſona, ad qvam utraqve natura pertinet, mortua eſt. (2.) ἰδιοποιητικῶς *ſeu appropriativè*, qvia divina natura mortem humanæ naturæ mediante hypoſtaſi ſibi appropriavit.

SECUNDA PROPOSITIO.

(3.) Ἐνεργητικῶς *ſeu effectivè*, qvia divina natura morti Chriſti hominis tribuit divinam vim & efficaciam. *vid. Damaſc. l.3.c.16. & 18. Chemn. lib. de 2. nat. c.17. p. 83.* Ita communiter.

§. 85.
Hinc Tranſitio fit ad *II Propoſitionem* Tertii generis Communic. Idiomatum.

LXXXV. Et hiſce ſatisfeciſſe putamus explicationi Propoſitionis prioris è Textu noſtro erutæ, qvam ad Primum Commun. Idiom. genus retulimus, & prolixius deduximus. Excreſceret in totidem qvaterniones Diſp. ſi eodem tenore perſeqvi reliqva inſtitueremus. Proindè ſufficiet ſi rectè explicatis ea tantum addamus qvæ *in III. Commun. Idiom. genere* conſiderari ſolent, occaſione propoſitionis poſterioris: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis*, ad idem genus ſine dubio referendæ: Cum alias etiam tertii generis conſideratio, præmiſſo primô genere, felicius tractetur, & illud hoc neceſſariò ordine naturæ præſupponat.

§. 86.
In qvâ vocib9 *Pro nobis* ſecundum verſiones ritè examinatis.

LXXXVI. Conſideramus ergo in poſteriori Propoſitione, præprimis voces *pro nobis*. Ubi notamus (ſub initium enim monuiſſe juvabit, ut deindè abſqve offendiculo progrediamur) qvod vulgata verſio omiſerit τὸ ὑπὲρ ἡμῶν, qvam verſionem & Gallica N. T. Translatio, Montibus Hannoniæ edita (de cujus

ver-

verſionis fatis vide *acta Erudit. Lipſ. Tom. V. A. 1686. M. April. p. 201.*) ſeqvitur, hoc tantum diſcrimine, qvod differentiam Græc. textus parentheſi incluſerit *h. m. Puis done qve Jeſus Chriſt eſt mort* (*pour nous*) qvaſi verò res eſſet indifferens, parumqve attineret, omnium efficaciſſimam omiſiſſe vocem, qvæ in omnibus Græcis eſt codicibus, qvamqve paraphraſtes etiam Syrus expreſſit. *Gerb. in h. l. p. 531.* Qvamvis enim Syrus legat ܡܛܠܬܟܘܢ *pro vobis*, (non ܡܛܠܬܢ pro nobis, qvemadmodum *Rom. VIII. 34.* occurrit, ܢ enim eſt perſonæ primæ, ܟܘܢ ſecundæ pluralis perſonarum plurium ſuffixum) res tamen eodem recidit, cum ſub hac voce idem illi intelligantur, qvi voce nobis explicandi infrà veniunt, omnes ſc. omninò homines, ubi ſimul partic. ὑπὲρ juſtè vindicabimus.

LXXXVII. Nunc igitur non amplius nobis cum partic. diſtinctivâ *in Carne* res eſt, qvàm locum in hâc alterâ propoſitione non invenire ſuprà monuimus, ex eâ ratione, qvia Chriſtus non ſecundùm carnem ſolùm, ſed ſec. utramqve naturam Redemtor noſter, & pro nobis paſſus eſt. §. 87. & omiſſis particulis diſtinctivis in carne.

LXXXIIX. Ideo enim, (ut eo ipſo ſtatim pedem promoveamus ad conſiderationem ſubjecti QVOD) qvod h. l. eſt concretum perſonæ, aliàs in III. genere modò divinæ *Joh. III. 8. Rom. VIII. 3.* modò humanæ naturæ concretum *Gen. III. 15. Luc. IX. 56. Gen. XXII. 18.* modò etiam hujus abſtractum *1. Joh. II. 7.* eſſe ſolet. Eſtq; intelligenda ſemper perſona incarnata ſec. utramqve naturam; in qvo à *Primo* genere differt *Tertium*, qvòd in illo perſona itidem incarnata, ſed ſecundum alterutram tantùm naturam, (uti ex dictis conſtat,) in hoc autem ſpectandus nobis Redemtor noſter, qvatenus eſt Redemtor, i. e. Theander in utrâqve, & ex utrâqve naturâ conſtans, qvod probamus ex opere redemtorio illud ipſum exigente. §. 88. *I. Subjectum α) Qvod* Chriſtus ſc. θεάνθρωπος.

LXXXIX. Uti verò in omni Redemtore inter alia etiam hæc tria notanda, *Jus, vires* & *voluntas* redimendi; ita eadem non minus in noſtro Redemtore occurrunt. JUS, qvia Goël noſter & conſangvineus. Cumq; *Redemturæ Jus duplex ſit, Proprietatis*, qvà poteſt licitè Dominus redimere ſervum, Rex & princeps miniſtros §. 89. Cui reqviſita Redemptoris competunt.

 ſtros

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

ſtros vel populum ſuum; *& propinqvitatis, tàm qvoad ſangvinem, qvàm religionem*, qvâ Pater redimit Filium, frater fratrem, cognatus cognatum &c. hinc Redemtor noſter habet in nos *jus proprietatis*, ut verus Deus, omnium Dominus; *jus propinqvitatis*, ut verus homo, גואל noſter & conſangvineus, ubi nota emphaſin verbi præ cæteris emphatici גאל qvod omnium freqventisſimè (nomen enim גאלה vel in uno XXV. Levit Cap. octies occurrit) in ſignificatione *liberationis per interveniens pretium* adhibetur, qvia non tantum redemtionem, ſed & obligationem ad redimendum ex conſangvinitate ortam deſignat, unde גואל noſter denominationem accipit, eò qvod jure propinqvitatis poteſtatem redimendi habet. VIRES, qvia Immanuel Deus & homo, per utramqve naturam opus Redemtionis perficere valens & perficiens. VOLUNTAS: eò enim cogebant ipſum σπλάγχνα ἐλέους *Luc. I. 78. ut fratrem*, cui imposſibile erat non compati vinctis in lacu fratribus, *ut Deum*, qvi ipſa bonitas, charitas & miſericordia eſt. *König Theol. Poſ. p. 103.*

§. 90.
& *Subjectum* β) *QVO* conſideratur.

XC. *Subjectum* autem *QVO*, (qvod *Damaſceno* ἐνεργητικὸν, qvemadmodum principium Qvod ipſi ὁ ἐνεργῶν dicitur,) hîc non amplius, uti in primo genere, eſt ſola natura humana, utpote cujus ſolius proprietas eſt pati, ſed utraqve natura tàm divina qvàm humana, qvæ in una hypoſtaſi ſubſiſtentes, intimo, operativo & communicativo confluxu, & influxu operationes redemtorias producunt & redemtionis opus nō ſeorſim, ſed ſimul perficiunt, ſalvâ interim manente cujusvis naturæ proprietate. Is enim Canonis illius *Concilii Chalcedonenſis IV.* ſenſus eſt: *qvamlibet ſcil. in Chriſto & operibus officii Chriſti Naturam agere cum communicatione alterius, qvod cujusq; proprium eſt. Damaſc. l. III. O. F. c. 15. & 19.* per æqvipollentem effert: perſona Chriſti operatur ſec. utramq; naturam. Et: Perſona Chriſti operatur in utraqve forma.) Qvo ipſo *Tertium Commun. Idiom.* genus definitur, qvod perinde à Cyrillo κοινοποιΐα & κοινωποίησις & κοινωνία ἀποτελεσμάτων dicitur, qvia conjunctim utraqve natura unum producit ἀποτέλεσμα.

§. 91.
Ubi ſimul explicatur Canon Concilii Chalcedo-

XCI. Qvem Canonem ex parte tantum retinent *Calviniani*, qvod ſc. in officio Chriſti *qvælibet natura agat, qvod cujusq; proprium*, alteram autē partem, qvod *cum communicatione alterius* agat, inſuper habent. Nos autem integrum retinemus, hac explicatione,

qvam

qvam ex *B.Chemnitio l.de duab. nat.c.17.p.80.* mutuati ſumus, additâ: *Qvando una natura in Chriſto agit id, qvod ſibi proprium eſt, aut qvando Chriſtus ſec. proprietatẽ unius naturæ aliqvid agit, tum in illa actione ſeu paſſione altera natura non ſit otioſa, ut vel nihil vel aliud agat, ſed qvod & hoc qvod unius naturæ proprium eſt, fiat & agatur in Chriſto cum communicatione alterius naturæ, ſalvâ differentiâ illâ, qvod cujusq; proprium eſt;* ut qvando Chriſtus humana ſua natura patitur & moritur, qvod & hoc fiat cum communicatione alterius naturæ, non qvod divina natura in ſeſe etiam patiatur & moriatur; hoc enim naturæ humanæ proprium eſt: ſed qvia divina Chriſti natura adeſt perſonaliter naturæ patienti, ac vult illam humanæ ſuæ naturæ paſſionem, non avertit eam, ſed permittit humanitatem ſuam pati ac mori, corroborat ac ſuſtentat eam, ut poſſit ſuſtinere immenſum illud onus peccati mundi, ac totius iræ Dei, & efficit paſſiones illas coram Deo pretioſas ac mundo ſalutares *conf. Brochm.L.de Cur.p.312.* Et ſi pati Chriſtus ſalutariter pro nobis & totius mundi peccatis debet, ſi caro Chriſti mundo vitam dare debet, vim vivificam ſibi prius communicatam ex ſecundo Genere habeat neceſſe eſt. Hinc αὐχημάτων communicatio ordine naturæ communicationem ἀποτελεσμάτων antecedit. *Krom.Theol. Can.& Aphor.L.III.Aph.18.p.82.* Cumqve *ſolus Deus in opere redemptorio mortem ſubire & ſolus homo eandem ſuperare non potuerit*, ſec. Vulgat.Canon. hinc tali opus erat redemptore, qvi & Deus & homo, qvod eſt fundamentum antegreſſæ concluſionis & *Canonis Concilii Chalcedonenſis.*

nenſis: Qvælibet natura in Chriſto agit, qvod &c.

§. 92. Qvod facta diſtinctione inter Principium QVO *Originale & Organicum* ulterius deducitur.

XCII. Qvia autem humana natura ex virtute divina agit per unionem hypoſtaticam ſibi communicatâ, ſolet divina natura appellari *Principium qvo Originale & Formale:* Humana autem *Organicum vid. B.Menz.T.I.Diſp.Gieſſ.Diſp.III.Th.92.* Non tamen propterea humana Chriſti natura ſemper tanqvam *organica* conſideratur, neqve cauſalitas & influendi ratio naturæ humanæ ſemper eſt *inſtrumentalis*, videlicet qvando ipſa ad ſuam propriam ἐνέργειαν refertur, v.g. ad paſſionem, effuſionem ſangvinis, & tum principium ſuæ operationis eſt *non organicum, ſed formale & originale.* Eſt namqve illa ipſa ſuæ paſſionis *principium* proprium ſed *paſſivum* (vid. *Qvenſt.Theol.Poſitiv.de C.perſon.& Nat.p.105.*) Unde alii aliter diſtingvendo, divinam Chriſti naturam *activè*, humanam

paſſivè, ad operas θεανδρικὰς concurrere ajunt (qvod tamen in eundem ſeſe terminat ſenſum) per operandi ſc. facultatem (ἐνέργειαν *Damaſceno* dictam) & ipſum motum efficacem ſeu operationem, per qvam ὁ ἐνεργῶν conſtituitur actu operans; ubi notandum eſt, ἐνεργείας vocem latius accipiendam, & *paſſiones* etiam ambitu ſuo complecti, ita ut effectus ejus ſit tum Divinum ἐνέργημα divinæ naturæ, tum humanum humanæ, qvæ diſtincta, non tamen in operando diviſa, divinæ & humanæ naturæ ἐνεργήματα, producunt unum effectum compoſitum, & utriqve naturæ communem, qvem ἀποτέλεσμα *l.3. O.F.c.15. Damaſcenus* appellat. Unde etiam veteribus dicitur opus θεανδρικὸν ſeu Dei virile, qva ſc. utraqve natura hic agit, ita ut Chriſtus qvoad humanam naturam non tantum divina operetur ſed & per ἰδιοποίησιν (qvam ſuperius conſideravimus) mediante hypoſtaſi ſibi appropriet humanitatis actiones & paſſiones; & contra humana natura non tantum ea qvæ humanitatis ſunt, ſed & divina agit ex virtute divinâ per unionem hypoſtaticam in ſecundo genere ſibi communicatâ.

§. 93.
Unde III. præſupponit I. & II. genus Communicat. idiomatum.

XCIII. Hinc qvia modus prædicandi eſt realiſſimus & qvod humanum eſt in apoteleſmate prædicetur de divina natura ἰδιοποιητικῶς *ex primo genere*; & qvod verè divinum eſt in apoteleſmate, prædicetur de humana natura, non qvidem per ſe, ſed κατ' ἕνωσιν, & propter communicationem Majeſtatis *in ſecundo genere*; hinc inqvam naturæ ordo poſtulat, ut ordo, qvem Theologi *communiter* tenent (non enim invicem convenire, ſupra oſtendimus) obſervetur.

§. 94.
II. Prædicatum autem deſcribit

XCIV. PRÆDICATUM idem omninò & hic eſt, qvod in priori propoſitione vidimus, omniaqve hic plenis titulis ſervata volumus, qvæ circa idem ſec. omnes circumſtantias conſideravimus. Qvicqvid enim θεάνθρωπος paſſus, qvoscunqve dolores ſanctisſimum corpus, qvosqve cruciatus innocens ſuſtinuit anima; omne id certe noſtri cauſâ, inqve noſtram redemptionem optimus Salvator pertulit, uti ex ſeqventibus pateſcet. Hinc præter jam dicta nihil adjiciendum reſtat, qvam illud ipſum, qvod modo innuimus, *ſatisfactoriam ſc. fuiſſe hanc ipſam paſſionem & redemptoriam.*

XCV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

XCV. Neq; enim nos aliter qvando Chriſtus *paſſus* dicitur *pro nobis*, interpretamur propoſitionem, qvia aliter qvam *ſatisfactoriè & redemptoriè* Chriſtus PRO NOBIS non eſt paſſus: Cum autem pretium vicarium ſive noſtri loco præſtitum, in univerſa redemptoris noſtri *obedientia tàm pœnali*, ſive uti nos vocare malumus, *paſſiva*, qvæ in ſufficientiſſima pœnarum, qvæ nos manebant, perſolutione conſiſtit, qvam *in activa ſ. non pœnali*, qva impletione legis de expiatione culpæ, qvam homo injuſtè commiſerat, abſolvitur. *Matth.V.17.18. Rom.V.18.19. c.VIII.3.4. Gal.IV.4.5.* nobis tantùm ex præſenti loco de priori præcipuè ſermo erit, *paſſivâ* ſc. Chriſti *paſſione*, qvam in paſſione multiplici mortis inprimis & ſangvinis effuſione conſiſtere jam dum explicavimus. §. 95. Satisfactionem Chriſti, qvæ obedientia paſſiva, morte & ſangvinis inprimis effuſione,

XCVI. De *qvæſt.* autem hîc moveri ſolitâ: *Num una gutta ſangvinis Chriſti ſatisfacere potuerit pro mundo*, in *THESI* ita cenſemus, qvod una Chriſti guttula fuiſſet qvidem ſufficiens ad nos redimendos *reſp. perſonæ infinitæ & ſangvinis prærogativis infinitis inclyti*, qvia non à qvantitate ſed qvalitate ſangvinis, qvi ex ipſius Dei corde promanavit, effectus hic dependet: At in HYPOTHESI, Una Chriſti guttula non fuit ſufficiens ad nos redimendos, *ratione ſc. totius meriti, & conſilii atqve decreti divini*, qvæ ulterius explicat *Drechslerus in Diſſ. de hac ipſa qvæſtione imprim. p. 22.* Unde nec qvicqvam juvat hæc aſſertio *Gittich. Contr. Luc. fol. 3, 4. ad ment. Socin. P. III. de Chriſto Servat. c. IV.* qvi inde concludunt reliqvas ſangvinis guttas fruſtra effuſas, ſi una ſuffeciſſet, *vid. Scherz., Colleg. Anti-Socin. p. 502.* §. 96. (ubi ſimul ad qvæſt: num una gutta ſangvinis ſatisfacere potuerit pro mundo? nervosè reſp.

XCVII. Neqve tamen ab *Obedientia Paſſiva* excluſam volumus *Activam*, utpote qvæ in media etiam morte Chriſti, mirificè ſe exeruit: Unde *B. Menzero Diſp. VII. Op. p. 480.* non usqve adeò exqviſita videtur illa diſtinctio in *Obed. Chriſti activam & paſſivam*, qvia actio ſine paſſione non eſt, nec ſine actione paſsio, qvo reſpectu rectius *Bernhardus paſſionem* vocat *activam & actionem paſſivam.* Et ſuperaddimus loca *Matth. XXVI. 28. Act. XX. 28. Ebr. IX. 12, 14, 22. 1. Pet. I. 19. Apoc. V. 9. Matth. XX. 28. Marc. X. 45. Ebr. IX. 15.* §. 97. non excluſa tamen obedientia Activâ abſolvitur.

XCIIX. Huc præſertim etiam faciunt dicta, qvæ alias in objecto conſiderari ſolent, uti ſunt *Eſa. LIII 4.* Verè langvores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, vulneratus eſt propter iniqvitates noſtras &c. *Tit. II. 14.* Qvi dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret §. 98. Qvæ Paſſio ſatisfactoria Scripturæ dictis & ab objectis Redemtionis probatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

meret nos ab omni iniqvitate. 1. *Joh.I.7.* Sangvis Jeſu Chriſti filii Dei emundat nos ab omni peccato, & *Hebr.I.3.* per ſemetipſum purificationem fecit peccatorum noſtrorum. Neqve fortè à ſcopo noſtro alienum erit hîc conſiderare Mala ipſa, à qvibus Chriſti morte ſatisfactoriâ & ejusdem redemptione liberati ſumus, de qvibus ſuprà facta eſt mentio, hîc ſpecialiter iterum ergo nominandis. In qvo enim conſiſtit modus redemptionis, in eo etiam conſiſtit paſſio Chriſti ſatisfactoria, qvia per eandẽ propriè redemptor noſter factus eſt. A peccatorum ergo pœnis nos liberando, ipſe peccatorum pœnas paſſus & peccata portavit. Cumq; ab ira Dei nos liberaverit, à maledictione legis, à poteſtate & tyrannide Diaboli, ab inferno & morte æternâ; hinc eandem *iram Dei* expertum, *maledictioni legis* ſubjectum, imò *mortem* etiam *æternam* ſenſiſſe rectè colligimus, atqve infrà probabimus.

§. 99. ad qvem divina natura inprimis, ſiti dictum, concurrit.

§. XCIX. Qvia autem ſatisfactoria eſt mors Chtiſti, præprimis nobis h.l. nominanda venit *divina natura.* Uti enim ſuperiùs de paſſione Chriſti, tanqvam proprietate humanæ naturæ, erat ſermo; ita longe alia ratione hic nobis conſideranda paſſio: in qva *divina Chriſti natura* primum ſibi vendicabit locum, utpote qvæ non tantùm (ut ex dictis hæc repetamus) carnem patientem, ſibiqve perſonaliter unitam ſuſtentavit & conſervavit, ſed & paſſiones permittendo voluit, ſibiqve proprias fecit, & in ſalutem noſtram direxit, dum morti ſuæ ſecundum humanitatem infinitum valorem, infinitam vim, pondus & efficaciam infinitam addidit, ita ut, utrâqve naturâ in Chriſto cum communicatione alterius agente qvod cujusqve proprium eſt, tota noſtra redemptio peracta fuerit, indeqve paſſio rectè ut ſatisfactoria conſideretur.

§. 10. Tandem Socinianorũ blaſphemiâ notatâ,

§. C. Impia autem mens & blaſphema obſtinataq; eſt ſententia *Socinianorum*, qva contra conſcientiam Spiritui S. contradicere etiam ſpontè allaborant, & qvam fidem Scripturæ S. habeant publicè profitentur, ita ut, etiamſi non ſemel ſed ſæpè id in ſacris monumentis ſcriptum extaret, *Chriſtum pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe*, non tamen idcirco rem prorſus ſic ſe habere crederent, qvæ blaſphemia ex falſa eorum hypotheſi originem trahit, *qvâ non ſatisfactoriam Chriſti ſtatuunt paſſionem & mortem, ſed declaratoriam tantũ*, ut nimirum certi eſſe poſſimus, Deum ſeriò ſine interventu ullius pretii nos liberari velle, qvæ ipſius *Socini* verba ſunt *S.II. de C.S. c.2. Et Prælect. Theol.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

Theol. c.XIX. p.119. eos omnes fœdè lapſos dicit, qvi ſolutionem aliqvam veri pretii per ſangvinem Chriſti factam ſtabilire ſunt conati. *Vide Catech. Raccov. c. IIX. de Morte Chriſti Qv. III. ad XII. f. 257. 261. Volckelium. L. III. de V. R. c. XVIII. Oſtorod. Inſtit. Germ. c. XXXVII. qvos refutat B. Scherz. Colleg. Antiſoc. f. 466. 473. Calov. de Cauſa mortis Chriſti contra Crell. P. II. Script. Socin. f. 618. & Mareſ. Hydr. Soc. exp. T. II. L. III. C. XIIX. f. 215. ſeq.*

§. 101. Mors Chriſti initerabilis prædicatur.

§. CI. Nihil hîc addimus, niſi forte ex *1. Pet. III. 18.* tranſumere initerabilitatem mortis Chriſti velimus. Semel enim Chriſtus paſſus eſt pro peccatis, juſtus pro injuſtis, ut nos ad Deum adduceret, morte qvidem affectus carne, vivificatus autem Spiritu. Et ſemel (*Ebr. IX. 12. VII. 27.*) non per ſangvinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſangvinem ingreſſus eſt in ſacrum, æternam redemptionem nactus. Ubi τὸ ἅπαξ, *ſemel*, non tantùm unam vicem, ſed etiam perfectionem & conſummationem notat; perfectionem, inqvam, cui nihil addi poteſt aut debet: ea enim eſt vocis *ſemel* ſignificatio, *Hebr. VI. 4. Jud. V. 3.* cum excluſione repræſentativæ reiterationis, qvalis fuit in V. T. freqventiſſima. *Semel* itaq; oblatus eſt Chriſtus, i. e. *initerabiliter*, perfectè & ſummè. *Vid. Danh. Hodoſoph. Phænom. VIII. pag. 686.*

§. 102. Seqvitur III. Objectum paſſionis qvod eſt vel *Perſonale* vel *Reale*.

§. CII. Hactenus *de Prædicato & modo paſſionis* ſatisfactoriæ. Nunc de *Objecto* tribus verbis dicemus, ne longius excreſcat Diſput. Cum autem illud in Textu noſtro *concretum* ſit: *Paſſus* enim *Chriſtus dicitur pro NOBIS*; nos ex collatione loci paralleli *1. Pet. III. 18. abſtractum & formam denominantem* eruimus; ubi de Chriſto, qvod pro *peccatis* paſſus ſit, affirmatur. Licet enim *τὸ nobis* reſp. *peccati* non ſit *denominativum, nec peccatum forma denominans* ſit reſp. illius: tamen qvia iidem nos ſumus illi, qvi peccatum habent, & inde *peccatores* rectè dicimur; hinc *abſtractum* ex *concreto* rectè etiam deducitur, ſubjungitq; Apoſtolus *c. III. v. 18.* ſtatim etiam abſtracto concretum; qvod pro peccatis Chriſtum & pro injuſtis (propter peccatum inhærens) juſtum paſſum eſſe prædicat: cui explicationi adde *caput V. Epiſt. ad Rom.* & ex eo præprimis *verſ. 8.* ubi dicitur ſuam erga nos charitatem commendare Deus, eò qvod cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis peccatoribus mortuus ſit: *conf. 1. Joh. I. 7.* Alio autem duplex hoc objectum nomine indigitant Theologi, qvando aliud *Perſonale*, aliud *Reale objectum* appellitant; illud *concreti*, hoc *abſtracti* locum tenet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

§. 103. §. CIII. Perſonale ergò objectum non eſt, I. *ipſe Chriſtus.* Ipſe
I.) *Perſonale* enim α) *ſubjectum eſt ſatisfactionis.* E. idem objectum eſſe neqvit,
objectum qvia illud mundum eſſe oportebat. β) ἀναμάρτητος eſt peccatorum
non eſt I. omnium expers ac innocentiſſimus *Joh. VIII. 46. Hebr. VII. 26, 27.*
Ipſe Chriſtus. *1. Pet. III.* 18. in ſe & per ſe ſatisfactione, ſive morte & paſſione, peccatorum expiatrice, nullâ egebat. Ad loca autem *Pſal. XL. 13. Pſalm. LXIX. 6.* ubi peccatorũ Chriſti mentio fit, Reſp. Imputatione ac ſuſceptione peccata Chriſti vocantur, non item commiſſione aut inhæſione. Qvo ſenſu etiam *B. Luthero Tom. VI. Altenb. f. 698.* Chriſtus omnium maximus latro & homicida audit, qvo nullus unqvam major in orbe fuerit, qvia exiſtens pro totius mundi peccatis hoſtia, jam non ſit perſona innocens & ſine peccatis, ſed peccator omnium maximus. Si hoc ſenſu *Durandus, Scotus & Biel III. Sent. Diſt. XII. qv.* 1. Chriſtũ peccatorẽ dicerent, non refragaremur; ſed qvando blaſphema in eum eructant verba, potuiſſe etiam Chriſtum ut peccatorem damnari; nos blaſphemiæ illius reos non facimus, ſed damnamus hanc in illis, qvemadmodum & in *Arminianis* (vid. *S. Epiſcopii Inſt. L. IV. P. II. cap. XXXIII. fol. 338. Cap. XXXV. f. 342. S. V. c. IX. f. 418. Curcell. Inſt. Rel. Chr. c. VI. §. XI. XII. f. 230. Limborch. T. C. L. IV. c. XIII. §. 18. f. 375. Arnold Poelenburg. Vol. Epiſt. Eccleſ. Ep. CXXXII. ad Phil. Limborch. f. 233. ad 238.*) impiam ſententiam de Chriſti peccabilitate, refutatam â *D. Calovio Arminian. c. IIX. Qv. 23, 24. f. 229. 232. ad 238. c. XVII. Qv. 15. fol. 404. Scherz. Enucleat. Breviar. Hülſem. cap. VII. Th. IIX. f. 364. ſeq. &c.*

§. 104. §. CIV. Nec II. *Angeli ſive boni ſive mali.* *Boni* enim nun-
Nec II. Angeli. qvam peccaverunt, ſed poſtqvam à Deo in perfecta puritate & ſanctitate conditi erant, in eadem permanſerunt, & ita jam in bono ſunt confirmati, ut amplius labi non poſſint, qvod ex futurâ noſtrâ ἰσαγγελότητι *Luc. XX. 36.* & proſopicâ, qva illi διὰ παντὸς fruuntur, viſione Dei, *Matth. XIIX. 10. &c.* ſatis liqvet, contra *Arminianos*, (qvi bonorum Angelorum confirmationem ex Scripturis difficulter probari poſſe docent. *Arminian. Reſponſ. ad artic. XXXI. Opp. fol. 130. Epiſcop. L. IV. Inſt. ſ. III. c. II. f. 349.*) E. neqve ad ſui cum Deo unionem, neqve ad ſui in concreata ſanctitate confirmationem & conſervationem, neqve deniqve ut illorum juſtitia & integritas, utpote coram Deo mutila & manca, per perfectam illam & infinitam Chriſti Mediatoris coram Deo juſtitiam tegatur, ipſius θεανθρώπου ſatisfacti-

one

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

one & merito opus habent. *Mali* autem *Angeli* æternum omni ſpe ſalutis excluſi, & catenis noctis in tartarum præcipitati in judicium ſervantur *2.Pet.II.4. Jud.V.6.* E. ad illos meritum Chriſti non ſpectat. *Cur autem illis denegata ſalus, non item hominibus*, noſtrum non eſt curioſiùs inqvirere; Deo gratias agimus, & miramur potius divinæ φιλανθρωπίας abyſſum, (non enim ex merito, ſed ex gratia nobis ſalus) qvàm ut alienam excluſionem ſcrutinio inutili rimemur.

§. CV. Nec III. *Omnes creaturæ*, qvæ qvorundam eſt ſententia, ſed abſurditate ſua ſeſe deſtruit. Et qvid abſurdius & magis ridiculum qvam qvod *Franciſcus Monachus*, *Antonius & Beda*, avibus, lapidibus, piſcibus (refer. *D.Finccio Cent.*I.*Legend.Pap.* & *Durand.Rat. div.offic.l.7.c.46.*) concionati leguntur, falsâ hâc inducti hypotheſi Evangelium, & conſeqventer ſalutem ad omnes creaturas ſpectare. Πάσῃ enim κλίσει *(rationali)* Evangelium prædicare Apoſtoli jubentur. *Marc.XVI.15.* vi illius Canonis: *talia ſunt ſubjecta, qvalia permittuntur à ſuis prædicatis.* Et locus certè *Rom.*VIII.*19,20,21.*&c. qvo creaturæ videtur tribui ſpes reſurrectionis & vitæ æternæ, ſatis vindicatus eſt & rite expoſitus ab interpretibus, unà cum locis aliis. A liberatione enim à ſervitute ad libertatem & gloriam, qva filii Dei fruentur n.v.c. *vid. Prückner. Vind. in l.c. p.322.*

§. 105. nec III. Omnes Creaturæ.

CVI. Sed IV. *Soli homines in peccatum prolapſi & æternam damnationem promeriti, iiq; ſine exceptione omnes.* Probamus (1.) ex voce ὑπὲρ ἡμῶν. Apoſtolus enim nemini, niſi hominibus, non creaturis, non angelis, nec cuiqvam alii Epiſtolam ſcripſit, illis ſc. qvos ad imitationem Chriſti, ut in adverſis conſtantes permaneant, & carne pati diſcant, admonet. *Cap.*II.*21.&* III.*18.&c.* qvod ſuprà latius deduximus. Conf. qvæ præced. §. in remotione Angelorum diximus, collata cum *Ebr.* II.*16.* (2.) *ex locis parallelis Eſa. XLIII. 24,25.* ſervire me feciſti in peccatis tuis, laborare me feciſti in iniqvitatibus tuis: Ego, ego ſum, qvi deleo prævaricationes tuas propter me & peccatorum tuorum non recordabor. *vid. Dorſch. Theol. Zach. P.I. p.83. Et Rom.V.6.* Chriſtus cum adhuc infirmi eſſemus ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt, *conf. loca ſuper. cit. Rom.V.8. 1.Pet.*III.*18. 1.Joh.* III.*16.* Omnes etiam & ſingulos, ne qvidem reprobis exceptis, non aliqvos tantū intelligi itidem *a)* ex *textu* deducimus: τὸ *Nos* enim ſupponitur pro Omnibus Illis, qvibuscum ſermo eſt Apoſtolo, qvosqve in epiſtola informat tanqvam fideles imitatores Chriſti. Non autem

§. 106. ſed IV. Soli & omnes homines, qvod probatur.

 ſui

ſui ſolum temporis hominibus, aut iis, ad qvos miſſa eſt Epiſtola, ſcriptam eſſe eandem cenſendum eſt, ſed omnibus ad qvos Scriptura S. in genere ſpectat, cujuscunqve ſint generis, fideles ſive infideles fuerint. β) *ex locis parallelis* & dictis Scripturæ S. cognatis, qvorum (א) qvædam (*obſerv. D. Qvenſtedt. Syſt. Theol. l.c.*) meritum Chriſti & mortem ſatisfactoriam ad OMNES HOMINES extendunt, ut *Eſ.* LIII. *6. Omnes nos* qvaſi oves erravimus, unusqvisqve in viam ſuam declinavit, & poſuit Dominus in eo iniqvitatem omnium noſtrûm. *Matth. XX. 28.* dicitur filius hominis veniſſe δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν, ubi ἀντὶ πολλῶν idem eſſe qvod ὑπὲρ πάντων, & τὸ ἀντὶ *compenſativè non contrariè.* τὸ πολλῶν *univerſaliter & extenſivè* accipiendum *non excluſivè*, explicari optimè poteſt *ex Rom. IIX. 32. 2. Cor. V. 21. Rom. V. 19. conf. Glaſſ. Rhet. S. p. 446.* Deus proprio filio non pepercit, ſed tradidit illum *pro nobis omnibus. Conf. 2. Cor. V. 14. 15.* qvi locus egregiè probat, & 1. *Tim. II. 6. Hebr.* II. *9.* (ב) qvædam meritum & paſſionem extendunt ad totum mundum; cujus generis ſunt: *Joh.* I. *29.* Ecce agnus Dei, qvi tollit peccata *mundi*, & *Joh.* II. *12.* Chriſtus eſt ἱλασμὸς & propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed pro *totius mundi peccatis.* Qvo poſteriori loco univerſalitas duplex ſpectatur in vocibus: *totius mundi*: ut eo ipſo CALVINIANIS obviam eat Sp. S. (*vid. Cham. Panſtr. Cath. T.* III. *L.* IX. *c. 7. Rivetus in Cath. Orth. T.* II. *tr.* IV. *q.* 8. *Sibr. Lubbert. de Chriſto Servatore contra Socin. l. 1. c. 2.*) qvi vocem *mundi ſolos electos & fideles*; & SOCINIANIS (*vid. Smalc. Diſp. IV. contra Franz. p. 98.*) *qvi homines poſt natum Chriſtum*, ſolũ notare blaterant, contra manifeſtam Script. literam. (*conf. Glaſſ. l.c. p. 38.*) Imò ne poſſe qvidem abſolutè electos notare, pluribus oſtendit *Dorſch. Pentadec. Diſp.* XI. *§. 14.* Et *Calvinianis mundi illimitata collocatio*, & loca alia. *Joh.* IV. *42.* 1. *Joh.* IV. *14.* 1. *Joh.* II. *2.* opponuntur. *Conf. B. Scherz. Syſt. Loc. de Chr. p. 209.* ibidem ridiculam & abſurdam ex *Joh.* III. *16.* contra *Calvinianos*, ex ipſorum tamen mente, analyſin deducentis. (ג) qvædam extendunt Chriſti paſſionem meritoriam ad ipſos etiam *reprobos & culpa ſua pereuntes.* Sic *Rom. XIV. 15.* monet Apoſtolus, ne cibo tuo illum perdas, pro qvo Chriſtus eſt mortuus. Et *Hebr.* VI. *4.* ſcribit eos qvi peccant in Spiritum S. rurſum ſibi crucifigere Filium Dei. Et *Hebr. X. 10. 29.* ſangvine Chriſti ſanctificati eſſe perhibentur peccatores in Spir. S. Ergo ille ſangvis pro iisdem fuit effuſus. Adde *2. Pet.* II. *1. & Joh.* III. *18.* unde *B.*

Scher-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

Scherzero l.c. invicta hæc ſeq. collectio: Qvicunqve ſub pœna æternæ damnationis credere tenentur in Chriſtum, pro illis Chriſtus revera eſt mortuus. Atqvi per *l.c. Joh.* Omnes homines etiam reprobi &c. E. Notatqve à Remonſtrantibus in *Synodo Dordracæna Actor. Part. Dogmat. fol.* 338. propoſitum hoc argumentum Calvinianos non potuiſſe ſolvere, adeoqve auditu horrendam protuliſſe rationem, Deum damnare reprobos, qvia mendacio non crediderint. *vid. l.c. p.* 210 *Conf. B. Danh. in Salv. Reform. p.* 374. & *Qvenſtedt Syſtem. Theol. l.c. p.* 311. prolixius hæc proſeqventem, iterumqve *Scherzer. Enucl. Brev. Hülſ. L.* VII. *p.* 420. & *Danh. Hodom. Calvin. Phant.* VIII. *p.* 1612. *Feurborn. Faſcic. Diſſert.* II. *p.* 45.

§. 107. Tandemqve vindicatur particul. PRO contra Socinianos, idemqve ſignificare qvod vice noſtrâ, probat

§. CVII. Et hæc ita ſufficerent, niſi nobis adhuc *particula* ὑπὲρ, *Pro*, reſtaret vindicanda, contra falſas *Socinianorum* interpretationes, qvæ qvomodo explicanda veniat pronomini *nobis* juncta; utrum idem ſit, qvod *vice & loco noſtri*, adeoqve mors Chriſti ſatisfactoria & vicaria, *an tantum noſtri cauſa & bono noſtro*, ut hic ſenſus evadat, qvod nos per mortem Chriſti Deo ſimus reconciliati, ita ut nobis viam oſtendat, qvâ reconciliari eidem poſſimus. Illi poſterius: Nos prius affirmamus, dicimusqve qvod Chriſtus paſſione & morte ſua *noſtri loco* juſtitiæ divinæ verè & pleniſſimè ſatisfecerit, peccata omnia & ſingula hominum ſuo ſacrificio, in ara crucis oblato, meritoriè expiaverit, morte ſua ſufficiens λύτρον pro nobis perſolverit, nosqve ſangvine ſuo mundatos Deo nobis irato verè reconciliaverit, & à peccatorum omnium culpa & pœna redemerit, ac liberaverit.

§. 108. II. *Objectum Reale* peccatum ſcil.

§. CIIX. Putamus autem ſufficienter nos probaturos hanc ipſam theſin, ſi Chriſtum *pro peccatis noſtris*, qvod eſt II. OBJECTUM REALE paſſionis Chriſti ſatisfactoriæ, mortuum oſtenderimus. Oſtendimus autẽ jam tum ex parte, qvando *Objectum perſonale* explicavimus, (vix namqve peccatorem conſiderantes à peccatis ipſis abſtrahere potuimus) Chriſtum pro omnibus peccatis eſſe mortuum; qvia pro peccatoribus & hominibus omnibus fidelibus & infidelibus, imò etiam incredulis paſſum audivimus; Certè non potuit non etiam Chriſtus ſatisfeciſſe *pro peccato omni* qvocunqve nomine veniat, ſive illud *Originale* ſit, (qvod Papiſtarum nonnulli, citante *Gerhardo T.* I. *Diſp. f.* 127. *Menzero Exeg. A.C. p.* 125. ſolum concedunt) ſive *Actuale*, qvorum enumerationem, ſumptâ diviſione partim à cauſa in agendo deficiente internâ, partim à ſuppoſito peccante, partim à materiâ, par-

 tim

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

tim ex ipſo actu, partim ex effectu, partim ex adjunctis facile inſtituere poſſemus, (*vid. König. Theol. Poſ. p. 85.*) ſive cujuscunqve etiam ſit generis. Cum enim ne nominari qvidem peccatum poſſit, iſtud, ſi peccatum eſt & dari poteſt, in homine peccatore ſive hoc ſive illo ſit neceſſe eſt: Chriſtus autem pro peccatoribus illis omnibus, qvi modo propter hoc, modo propter aliud peccatum peccatores facti ſunt, ſatisfecerit; Certè pro omni etiam conſeqventer peccato idem ſatisfeciſſe putandus eſt.

§. 109. (ubi incidenter excutitur qvæſtio, de irremiſſibilitate peccati in Spiritum S. & finalis impœnitentiæ.

§. CIX. De *peccato in Spir. S.* qværi poſſet, an & pro illo ſatisfecerit Chriſtus, cum *irremiſſibile* in Scripturis dicatur; & ſic ne qvidem pro peccato ſimpliciter irremiſſibili ſatisfacere potuit. Omne enim peccatum remittitur; (loqvitur de *actu primo*, qvod remitti poſſit, non *ſecundo*, qvaſi actu omne remittatur, qvod falſum,) peccatum autem in Spir. S. non remittitur (*non remitti poteſt*) hominibus *&c. Matth. XII. 31.* Sed Reſpond. Irremiſſibilitas illa *non ex parte Dei*, neqve ex *parte ſatisfactionis Chriſti*, qvaſi magnitudine ſua gratiam Dei & meritum Chriſti ſuperet, qvod univerſale eſt; ſed *natura peccati ipſius*, qvod ſi ſit veritatis Evangelicæ, ſemel agnitæ, & in conſcientia approbatæ libera abnegatio, deſtinato conſilio facta, & cum impugnatione pertinaci, atqve blaſphemiâ conjuncta (*qvod ex finali impœnitentia, tanqvam neceſſario & reqviſito conſeqvente dijudicandum*) qvilibet ſatis videt qvod ejuſmodi peccatum remitti, tum *ob mediorum ſalutis omnium pertinacem rejectionem*, tum *ob finalem impœnitentiam* non poſſit. *Scherz. Syſt. p. 166.* Idemq; Reſp. qvando *de finali impœnitentia* qvæſtio eſt. *Alii* ſatisfactionem Chriſti ad omnia tempora extendunt, *excepto ultimo vitæ momento*, qvod ſtatum mutat, & cum tranſitu in infernum eſt conjunctum. *vid. Meiſn. Qvæſt. vex. III. §. 14.* Addo & hanc nervoſam brevitatem *ex B. Danhauero:* Duos in impœnitentia conſiderari poſſe terminos, qvorum *unus finis vitæ*, alter *initium æternitatis & damnationis:* Pro hoc non ſatisfecit, licet pro illo ſatisfeciſſe dici poſſit. *Conf. Scherz. Enucl. Brev. Hülſ. p. 1120.* Unde ſola infidelitas *B. Luthero* dicitur damnare, non excluſivè qvidem, ſed proximè & principaliter. Qvæ etiam verba Auctor libelli iſtius Anglici; (*Two Hundred Queries moderately propounded &c.*) qvi de Revolutione Animarum agit, obſervat. VII. approbat, licet *P. Bælius* in Excerptis ſuis, (qvæ hoc nomine: *Nouvelles de la Republiqve des Lettres*, qvovis menſe prodeunt) 1684. menſe Majo hanc doctri-

nam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

nam inter nova Auctoris dogmata, qvorum magna qvidem pars abſurda, tanqvam minus rectam & novam, injuſtè repoſuerit. Infinito itaqve valori ſangvinis & mortis Chriſti ſatisfactoriæ repugnaret, ſi ad certa tantùm reſtringeremus peccata. Unde *A.C. art. III.* Filius Dei, *inqvit*, non tantum pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis hoſtia eſt.

§. 110. Pro qvo Chriſtus ſatisfecit, ita ut nobis non imputetur, licet qvoad radicem adhuc in nobis exiſtat.

§. CX. Non tamen ita peccatum noſtrum in ſanctiſſimo corpore tulit, & à nobis auferendo *loco noſtro* bajulavit, *peccatum in nobis eſſe deſineret, ſive qvoad radicem & exſiſtentiam à nobis tolleretur*, qvod contra *Papiſtas, inprim. Bellarm. L.I. de Bapt. c.XIII.* ex peccato poſt Baptiſmum adhuc remanente aliter probatur, *ſed tantùm qvoad Reatum & non imputationem.* Tollit enim, *inqvit Auguſt. L.I. de Nupt. & Concup. c. XXV.* peccatum, non ut non ſit, ſed ut non imputetur.

§. 111. unde ſublata etiam eſt pœna contra Papiſtas.

§. CXI. Unde peccato (*ratione Reatus*) ſublato & remiſsâ culpâ, *pœna* ſimul aufertur, & neqve in hac, neqve poſt hanc vitam (*contra Bellarmin. L. IV. de Pœn. c.II. Becan. Manual. L.I. c.9. p.213.*) in Purgatorio demum exſolvenda remanet. Pœnas enim peccatorum noſtrorum in ſe recepit Chriſtus, & cruentâ ſuâ morte pro illis juſtitiæ Dei, noſtri loco ſatisfecit, & ſic debita noſtra, qvæ peccatis noſtris apud Deum contraxeramus, perſolvit, patiendo pro nobis *mortem non modo temporalem ſed & æternam, non qvidem ratione durationis ſed intenſionis*, dum cruciatus & dolores verè ſenſit infernales, & qvicqvid paſſum Servatorem noſtrum diximus, id omne huc referri omninò debet. E. Juſtitia divina non permittit, ut idem peccatum bis puniatur, nempe in Filio & peccatore ſimul. *Confer qvæ circa Prædicatum ſuprà monuimus.*

§. 112. Ex qvo Chriſtũ *loco ſeu vice noſtra* paſſum conſeqventer deducitur,

CXII. His igitur probatis, qvod Chriſtus peccata noſtra tulerit, pro iis mortuus ſit, & pœnas peccatorum noſtrorum in ſe ſuſceperit, jam non amplius probatione aliâ opus habebimus ad vendicandam τȣ̃ ὑπὲρ orthodoxam ſignificationem, qvod *loco ſeu vice noſtra* ſupponatur. Neqve enim modo dictis: *peccata noſtra portare, pro iis pati, & pœnas ob peccatum contractas & à nobis exigendas in proprio corpore perſolvere*; explicatione illâ *Socinianâ*, qvâ *noſtri cauſa & bono ſolum noſtro*, inqve imitationem, Chriſtum paſſum contendunt, ſatisfieri putandum eſt, qvod ex probatis vel cuivis perſpicuum.

§. 113. Inversô Mor-

CXIII. Eqvidem *Morſcovius in Catech. Raccov. p.235.* argumentatur Chriſtum in Scripturis dici pro nobis mortuum, non, *qvod vice noſtrûm*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

ſcovii argumentô,

ſtrûm, ſed noſtri cauſa mortuus intelligatur, ſiqvidem nec *vice peccatorum noſtrorum*, verum propter peccata mortuus intelligatur. Ad qvod invertendo argumentum, qvia Chriſtus non loco peccatorum: & tamen propter peccata reſpond. imo eſt mortuus, hinc peccata tulit; & qvia peccata aliena tulit, hinc alienæ culpæ reus; & qvia alienæ culpæ reus, hinc alienam pœnam culpæ debitam luere debuit; & qvia ſolùm noſtro bono, qvod pœnas illas nobis infligendas ſuſtinuit, & execratio *pro nobis* (non concedimus, ſed etiam *vice noſtra*) factus, nos non tenemur pœnas il-las luere. (qvia idem peccatum bis puniri non poteſt.) E. Chriſtus propter peccata noſtra punitus, qvæ noſtri loco ſuſtinuit, pro nobis & vice noſtri rectè paſſus ſatisfactoriè dicitur.

§. 114. Concluditur generali argumento & voto,

CXIV. Dici omnino plura poſſent, qvæ pro ſtabiliendâ orthodoxâ hujus Præpoſitionis explicatione facerent. Sed ſeorſim illa proponere prolixũ nimis fore. Concludemus E. partim ex jam dictis, partim aliundè aſſumtis *generali hoc argumento*, additis ſtatim cuiq; in Majori Propoſitione medio termino probationibus, in Minore reqviſitis, *h. m.* Qvicunq; pro alterius ex morte redemptione vitã ſuã in mortẽ I.) tanqvam λύτρον καὶ ἀντίλυτρον h. e. pretium redemptionis ſeu redempti captivi tradit. *Mat. XX. 28. 1. Tim. II. 6.* II.) ita ut dolores alterius in ſe portet. *Eſ. LIII. 4. 1. Pet. II. 24. 1. Joh. I. 29.* III.) pœnam pro pace alteri acqvirenda volens in ſe recipiat. *Eſ. LIII. 5.* IV.) ſolvat, qvæ non rapuit *Pſ. LXIX. 5.* V.) fiat peccatum. *2. Cor. V. 21.* VI.) Et execratio pro reo *Cal. III. 13.* VII.) mundet alios à peccatis ſuis. *1. Joh. I. 7. Hebr. IX. 14. 1. Pet. I. 2.* IIX.) expiet alterius peccata, & fiat propitiatio pro peccatis alterius, morte & ſangvine ſuo. *Rom. III. 25. Ebr. II. 17. 1. Joh.* II. *2.* IX. deleat Chirographum alterius. *Col.* II. *14.* X.) ut is pro qvo moritur per mortem ſuam alicui reconcilietur. *Rom. V. 10. 2. Cor. V. 10. Eph.* II. *16. Col.* I. *20.* Is ita moritur, ut *loco ejus* pro qvo moritur, morte ſuâ ſatisfaciat. Atqvi Chriſto hæc omnia prædicata in cit. Scripturæ locis, ſub qvovis in Majori membro, competunt. E. Chriſtus ita pro nobis mortuus eſt, ut *pro nobis ſeu noſtri loco* morte ſuâ ſatisfecerit. Hâc veritate immotâ nititur noſtra ſententia; qvid opponant Adverſarii viderint. Nobis lux, illis crux; crucem ſi amplecterentur, lucifer exoriretur in cordibus ipſorum.

Ut oriatur, voto finimus!

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-343 4° 1636